VV. Clariss:

IOHANNIS RVTGERSII,
ERYCII PVTEANI,
IOHANNIS BRANTZII

SPICILEGIA IN APVLEIVM

AD

GEVERHARTVM ELMENHORSTIVM.



FRANCOFVRTI,
In Officina VVecheliana, Apud Danielem & Dauidem Aubrios, & Clementem Schleichium.

ANNO M. DC. XXI.



IOHANNES RVTGERSIVS *Geuerharto Elmenhorstio suo.*

INCREDIBILE dictu est, GEVERHARTE ELMENHORSTI, V. C. quantopere literæ tuæ me affecerint. Nam & ea venustate, iisque gratiis scriptæ erant, vt ipse Musarum pater non quinta nectaris sui parte, vt ille ait, sed vero tota eas ambrosia perfudisse videatur. Accedebat, quod in tanta tẽporis, tantaque locorum longinquitate, qua alter ab altero hactenus diuulsi sumus, memoriam nostri apud te constanter viguisse ex iis perspiciam. Equidem vt id quod res est, dicam, in hac grauissimarum occupationũ mole, quam sacratissima inuicti principis mei Maiestas humeris meis imposuit, nihil iucundius, nihilque gratius mihi accidere poterat, quam illa quouis melle suauiori carissimi mihi capitis allocutione ea tædia leuare, quæ hæc vita, si non ingrata, molesta tamen secum trahit. Ac mihi quidem oculos nonnunquam ad illa Musarum sacra, quibus adolescentia

nostra si non litauit, certe fecit, retorquenti, non sine acerba recordatione dulcissima illius beatissimi temporis imago subit, quo solutus omni cura nunc cum Platone atque Xenophonte sanctissimis atq; saluberrimis Socratis sermonibus interessem: cum Epicteto atq; Seneca tranquillam ac beatam vitam quærerem, alibi tamen reperirem. Curiosam Plutarchi in omni eruditionis genere felicitatem cum vasta illā, ac qua rerum Natura patet diffusa Plinii scientia coniungerem. Nunc astrictam atque grauem Thucydidis ac Sallustii breuitatem ineffabili dictionis ac narrationum Herodoti lepore, lactea T. Liuii eloquentia, vberi ac beata vtriusque copia diluerē. Nunc diuina Ciceronis facundia deductus, aut illa non expugnanda Demosthenis vi raptus in forum redibam, vnde non infaustum, vt poeta ait, sed mehercule felicem pedem extuleram. Cum Homeri Achille Hectorem, sed incruenta cæde, & qualem filio optasset Priamus, prosternebam. Cum Arato cœlum, cum Dionysio terras atque æquora lustrabam. Interdum iuuabat Æschyli thyrsum Sophoclis cothurno velut fasces maiestati submittere; in scena cum Euripide philosophari: Videbam

bam audaces Pindari conatus Venusinæ fidei temperamento frænari. Nunc diuinæ sacræ Æneidos maiestatem, illa humano ingenio inaccessa ac negata Georgicorum Venere temperabam. Erat, vt cum Terentio mores hominum notarem, cum Horatio corrigerem, cum Iuuenale iis irascerer. Ad hæc persæpe otii dulcedine resolutus in reducta valle ad lymphę salientis riuum sub patulis procerę alicuius arboris ramis sic temere positus cum Theocrito rusticarer, Anacreonte biberem: Nunc purissimi Catulli deliciis ebrius vagabar: Cum Tibullo exclusus ad dominæ fores querebar; mox victor victæ cum Propertio leges dabam. Cum Ouidio tristis, Plauto iocosus, Aristophane vrbanus eram. Hęc mihi nonnunquam memoria repetenti, tuam, ELMENHORSTI PRAESTANTISSIME, tuique similium felicitatem admirari subit, qui secreti à vulgo in amœnissimis Musarum atque Sapientię viretis gratissimo otio acquiescitis. Hinc tot ac tanta immortalis ingenii tui monumenta, quibus instans seculum illustrasti, futurum deuinxisti. Nam vt grauiora studia, quibus Deo fretus Ecclesiam tibi obligasti, hic omittam, quot & quanta ea sunt, quæ post innumeros cos-

que ſummos viros, nullis priorum ingeniis obſeruata in eruditiſſimum ſcriptorem Apuleium notata habes! Equidem non is ſum, cui promptum ſit in adulationes ingenium; ſed hoc veriſſimum velut à iurato teſte iudicium noſtrum habe; Tot ac tanta ea ſunt, vt cordatos in poſterum à ſimili conatu deterrueris. Quem laborem quod nomini noſtro inſcribere volueris, verba quærenti deſunt, quibus dignas tibi gratias agam. Quo enim verborum honore tale ac tantum beneficium, quo obſcurum nomen noſtrum in lucem prodire iuſſum immortalitatis peplo intexuiſti, explicari poſſit? Quod igitur ingenioſum pictorem feciſſe ferunt, id hoc tempore mihi faciendum video; Quod verbis aſſequi non poſſum, ſacri ſilentii ſipario tegam. Cæterum huius tanti beneficii, cui me non eſſe ſoluendo profiteor, præmium à deuincta tibi poſteritate feres. Vale ô meum, & Germaniæ tuæ decus; Et hæc loca, de quibus iudicium noſtrum quæris, cum venia legere memento.

Pag. 1.

Pag. 1. v. 9. *De philosophia naturali.*]

Plato natus die, qua apud Delon Latona fertur Apollinem Dianamq; peperisse. Pridie Socratem genitum accepimus.]

Hic locus manifeste corruptus est. Neque enim Apollo ac Diana vno eodemque die nati sunt; verum Diana vno die fratrem præcessit. Nata enim Diana fertur Thargelionis VI. Postridie autem, hoc est VII. Apollo. De Diana Proclus in ἡμέρας. τὴν πρώτην ἕκτην αἰεὶ ἐπιτηδείαν πρὸς κόρης γένεσιν εἶναι βούλεται, καίτοι τῆς Ἀρτέμιδος οὖσαν ἱεράν, ὡς γενέθλιον τῆς θεοῦ. De Apolline Hesiodus. ἡμέραις.

——καὶ ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ

Τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ.

vnde & ἑβδομαγενὴς dictus est, vt præter alios auctor est Plutarchus. Quare recte Dionysius Halicarnassensis in Arte, quo loco de Genethliacorum compositione agit; εἰ δὲ ἡ ἑβδόμη ἢ ἕκτη, ὅτι ἱεραὶ τῶν θεοῖν· καὶ ὅτι κοινωνία πρὸς τὸ κρεῖττον κατὰ τὸ τῆς γενέσεως. Dicit sextam & septimam duobus Diis, Dianæ scilicet & Apollini sacras esse. Intelligit enim priorem, hoc est VI. Dianæ; alteram, hoc est VII. Apollini dedicatam. Cur autem Diana prior nata sit, ratio est, vt nascituro fratri obstetricaretur. Proclus: διὸ καὶ προτέραν γενέσθαι φασὶ τοῦ Ἀπόλλωνος, ἵνα καὶ μαιεύσηται τὸν ἀδελφόν. Quare nulla mutatione, transposita tantum vnica vocula, ita locus legendus est.

v. 20. *Plato natus die qua apud Delon Latona fertur Apollinem peperisse; Pridie qua Dianam, Socratem genitum accepimus.*]

Pridie qua Dianam Latona fertur peperisse scilicet, id enim ἀπὸ κοινοῦ repetendum est. Omnia clara. Socrates VI. Thargelionis, hoc est, eadem die,

qua Diana, natus est. Laertius, ex Apollodoro: ἐγεννήθη δὲ Θαργηλιῶνος ἕκτῃ, ὅτε καθαίρουσι τὴν πόλιν Ἀθηναῖοι, καὶ τὴν Ἄρτεμιν γενέσθαι Δήλιοι φασίν. Plutarchus Symposiacorum VIII. τῇ ἕκτῃ τοῦ Θαργηλιῶνος ἱσταμένου τὴν Σωκράτους (γένησιν) ἄγοντες. E quibus eruditissimos homines grauiter lapsos esse constat, qui affirmare non dubitant, Diogenem tradidisse, Socratem eodem die natum esse, quo Diana & Apollo nati sunt. Cum Diogenes eo die genitum dicat, quo Diana sola nata sit. Postridie, hoc est, VII. Thargelionis Apollinem Latona peperit, vt iam vidimus, eodemque Platonem quoque natum fuerunt. Diogenes ex Apollodoro: καὶ γίνεται Πλάτων ὀγδόῃ καὶ ὀγδοηκοστῇ ὀλυμπιάδι, Θαργηλιῶνος ἑβδόμῃ, καθ' ἣν Δήλιοι τὸν Ἀπόλλωνα γενέσθαι φασί. Plutarchus loco dicto, τὴν τοῦ Πλάτωνος ἑβδόμην. Quare desinat eruditis viris aut vox *pridie* delenda, aut τὸ *Socratem* suspectum videri.

Milesiarum I.] Milesiarum principium versibus conceptum fuisse primus obseruauit, vir patrum nostrorum memoria doctissimus Philippus Beroaldus. Quo nomine eruditi nonnulli viri eum sugillare ausi sunt, hoc solo argumento freti, quod Apuleii sermo pedestris poetici instar totus flueret. quasi Beroaldus eo nomine deceptus versus esse credidisset. Equidem vt Apulei sermonem poetico propiorem esse non diffiteor; ita vllam mihi in toto hoc auctore paginam ostendi velim, in qua non dicam leui, sed nulla prorsus mutatione è soluta oratio e ligata fieri possit. Deinde versibus ab auctore conceptum esse, ipse docet. *Ecce; ipsa hæc quidem iam vocis immutatio desultoriæ scientiæ stylo, quem arcessimus respondet.* Quæ vocis immutatio? nimirum versus cantillauerat. Vbi ad prosam ventum fuit, graui

ac ora-

æ oratorio gestu pronunciare cœpit. Id quod eruditissimos viros fugisse miror. Hoc igitur est, quod *vocis immutationem* vocat. Vt autem hæc omnia versibus concepta esse rectè Beroaldus vidit, ita eos sic disposuit, vt id, quod affirmauit, ipse non intellexisse videatur. Non est pudoris nostri, vt quoties sũmus in literis suo æuo vir in syllabas peccarit, enumeremus. Hoc tantum à studiosis petimus, vt nostra cum illius, vtraque cum vulgatis codicibus conferre non grauentur. Ita ergo ab Apuleio hæc concepta esse affirmamus.

At ego tibi sermone isto Milesio
Varias fabellas conseram, atq; aures tuas
Lepido susurro beneuolas permulceam;
Modo si papyrum Ægyptiam tu argutia
Nilotici calami inscriptam non spreueris
Inspicere. Figuras formasq; hominum imagines
In alias conuersas, & in se mutuo
Rursum nexu refectas, vt mireris hic
Exordior. Quis ille, paucis accipe.
Himettos Attica, atque Isthmos Ephyrea &
Spartiaca Tænaros gleba felicis æ-
ternum libris felicioribus condita.
Mea vetus est prosapia.
Ibi linguam Atthidem primis pueritiæ
Stipendiis merui. Latina in vrbe mox
Aduena studiorum Quiritium.
Labore sermonem indigenam ærumnabili
Nullo praeunte magistro aggressus excolui,
Et ecce præfamur veniam, si quippiam
Exotici ac forensis sermonis rudis
Offendero locutor.

Videamus paucis. Versu secundo Beroaldum

ſecuti *fabellas* ſcripſimus, cum in aliis legatũr *fabulis*. Eodem verſu, *atque aures tuas*. cum Colinæi ac priore Baſileenſi editione. Cum in aliis ſit, *aureſq; tuas*. Verſu tertio ordinem ſolummodo verborum immutauimus. Ita enim vulgo, *beneuolas lepido ſuſurro permulceam*. Verſu ſexto, quo loco vulgo *fortunaſq;* legebatur, auctoritatem Bembini codicis ſecuti *formaſq;* ſcripſimus. Eodem & ſequenti verſu voces nonnullas ſolummodo tranſpoſuimus. Ita enim vulgo, *In alias imagines conuerſas, & in ſe rurſum mutuo*. Verſu decimo vulgo, *& Iſthmos Ephyraa*, nos ſtabiliendo verſui, *ac Iſthmos Ephyreia & Sp*. &c. Vt *Ephyreiaque ara* apud Poetam. Vndecimo vulgo, *Tænaros Spartiaca*. Nos propter verſum Spartiaca Tænaros. Eodem pro *gleba felices*, *gleba felicis* ſcripſimus Quod autem τὸ *æternum* ſic diuiſimus, vt prior quidem ſyllaba ad priorem, reliquæ ad ſequentem verſum pertinerent, id & Latinorum & Græcorum exemplo fecimus; vt illud Simonidis:

——— ἰωνίκ᾽ Ἀ εἰσο-
μίτων ἵππαρχον κτῆνε-

Horatius. ——— *quid inter-*
——— *eſt in matrona &c.*

Et: ——— *Ioue non probante vx-*
——— *orius amnis.*

Et ſimilia. Verſus decimus tertius Iambicus quaternarius eſt, in quo vnica tantum vocula tranſpoſita pro *proſapia* eſt, ſcripſimus eſt *proſapia*. Decimo quinto vulgo mox in vrbe *Latia*, nos licentia certe minima, *Latina* in *vrbe mox*. Decimus ſextus quaternarius eſt. In eo τὸ *Quiritium*. contrahendum eſt, vt ſi eſſet *Quirtium* quale eſt apud Lucilium *f. i. idaria*, apud Horatium, *amcitur*, & ſimilia apud Lucretium alioſque ἴσα κόνις. Decimo

octauo iterum voculam transposuimus. Cum enim vulgo legeretur, *nullo magistro praeunte*, nos *nullo praeunte magistro* scripsimus, & τὸ *excolui* aut τελσυμάζως legendum est, aut postrema syllaba ad sequentem versum releganda. Decimo septimo audacia fortassis ignoscenda, pro, *si quid*, vt consuleremus versui, *si quippiam*, reposuimus. Vltimo, pro *Locutor offendero*, Offendero locutor.

Atque haec quidem sunt, quae partim auctoritate codicum, partim ex ingenio mutauimus, quae ram exilia sunt, vt ne prolixius quidem eorum rationem reddendam existimauerim. Et hactenus quidem versus. Quae sequuntur prosa concepta existimamus. Si quis audacior tamen in numeros redigere velit, exiguo negotio poterit hoc modo:

Ipsa iam quidem
Haec vocis immutatio, desultoria
Stylo respondet, quem arcessimus scientia.
Nunc fabulam Graecanicam
Incipiam; intende lector, & laetaberis.

vt τὸ *arcessimus* penultima longa sit ab arcessio. Verum id quod de vocis immutatione dixit, non aliter nobis persuadere potest, quam iam versus hic desinere. Sed & huius coniecturae, vt & aliarum nostrarum omnium, penes te praestantissime Elmenhorsti, iudicium esto.

Pag. 282. v. 1. *Quid enim si choragium thymelicum possiderem, num ex eo argumentarere etiam, uti eo me consuesse Tragœdi Syrmate histrionis, crotalone ad Trieterica Orgia mimi centunculo.*]

Mendosissimus certe locus. Primum in priori membro ludorum nomen requiri facile videbit is, qui in posteriori *Orgia* legerit. Deinde quid est, *mimi*

centunculus. Aut cui is in Trietericis bono. In Romano ἀντὶ τοῦ Tragœdi, legitur *Gragidis*. Certe legendum est *Thargelus*, & pro mimi, legendum *hinni.* Hoc enim vult. Thargeliis, quod celeberrimum Apollinis festum fuit, ludos scenicos in eius Dei honorem, itemque choros celebrabant. Choragorum, qui iis præerant, munus erat, eos omnibus ijs instruere, quibus ad apparatum opus erat. cum tamen iis ipse non vteretur. Hoc ergo dicit, quod Orator dicit: Speculo me abuti obijcis, ideo quia domi habeo. Quod perinde est, ac si eum choragum scenicis vestibus instructum vides, eum Thargeliis in scena histrionem agere, aut in choris Crotalo, aut in Orgiis Nebride vti dicas. Neque enim necesse est, vt si quid possideo, eo vtar. Potest Socrates possidere Sicyonia, quibus tamen non induetur. Eleganter autem hinni centunculum τὴν νεβρίδα vocat, qua induti Bacchantes Orgia celebrabant. De quo quia pleni sunt Græcorum commentarij, non est, quod hic pluribus mihi agendum sit. Totus igitur locus sic concipiendus est:

Quid enim, si choragium thymelicum possiderem, num ex eo argumentarere etiam vti me consuesse Thargelus syrmate histrionis, crotalone? Ad Trieterica Orgia hinni centunculo?


Pag. 339. v. 22. *Si Philosophiæ honorem, qui mihi salute mea antiquior est, nusquam minui; imo contra vbique si cum septem pœnis eum tenui, &c.*]

Non est in toto hoc auctore vexatior temeritate Criticorum locus; quorum coniecturas hic non apponam, quas ex eorum libris facile cuiuis haurire est. Sed omnes, quod venia eorum dictum sit, frustrantur. Nimirum Apuleius scripsit, *si cum septem pinnis*

pinnis eum tenui. Cuius emendationis nostræ paucis rationem reddam. Mirmillones, quoties in arenam prodibant, galeis pinnis pauonū, vt auctor est vetustus Iuuenalis Scholiastes, ornatas habebāt. Retiarius mirmillone victo atq; cæso eas pinnas ei eripiebat, easque vt ab hoste spolium eleuatas populo ostendebat, vt id spolium cæsi ac prostrati hostis signum esset, quo populo se vicisse testaretur. Vnde Iuuenalis retiarium vocat *Pinnirapum*, quia cæso, vt diximus, mirmillone velut spolium pinnas ei rapiebat. Auctor idem Scholiastes. Hoc ergo dicit Apuleius, se Philosophiæ honorem non tantum non imminutum iuisse, verum ita defendisse, vt aduersarium eius, accusatorem suum velut retiarius mirmillonem cum omnibus pinnis captum teneat, quas septem dicit, Lucillium secutus, cuius hic versus apud Donatum ac vetustum Iuuenalis Scholiasten exstat:

Cum septem incolumis pinnis redit, ac recipit se.

Æmilianus, qui contra Philosophiam, vt mirmillo pugnabat, ab Apuleio, vt retiario ita pressus fuit, vt non incolumis cum septem pinnis, vt Lucillianus ille, se recipere potuerit; sed contra cum septem pinnis in hostis potestatem venerit, philosophia, quam oppugnarat, omnino salua. Atque hæc sunt, quæ nunc occurrebant, quæ si tibi probari sentiam vir Clarissime, erit, quo mihi gratuler. Vale. Dabantur Pragæ, pridie Cal. Aug. cIɔ Iɔ c xx.



Clarissimo Viro

GEVERHARTO ELMEN-horstio Erycius Puteanus

S. D.

SPECIMEN Apuleianæ editionis accepi, ô pulchrum & industria tua dignũ! cepit me ille characterum nitor, illa formæ maiestas, illud papyri decus: quibus omnibus exornari tandem facundissimæ sapientiæ scriptor debuit, vt vilitatem effugeret. Eo ventum est, vt etiam veste censeamur, & à typographo pretium ingenii pendeat. Sed profecto tuum hic ostendis, qui alienum ornas: vincis quicquid typographi præstant; & tanquam viuere imo loqui APVLEIVS incipiat, vitam & linguam donas. Video Philosophum non pallio ridiculũ, sed toga decorum! video quem amare literarum omnes mystæ possint. Isti quidem præ gemmis omnibus typi sunt, & facis AVREVM quem frustra appellamus. Error quidem aut admiratio eiusmodi olim titulum dedit, & quia pulcherrimum existimauit Lucij Asinum à pulcherrimo metallo

metallo nominauit. Sic quidem & Pythagoræ carmina, & alia multa quæ commendari poterant τὰ χρυσᾶ dicta. Si meo Suffragio res geratur. Simpliciter DE ASINO vel METAMORPHOSEON inſcribam. Vide, niſi graue, Epiſtolam meam ad LIPSIVM centuria I. Trigeſimam octauam. Sed tu fortaſſis iam Notas meas quam Epiſtolas malis. Me miſerum! qui quod ipſe malo iam præſtare nequeo. Illas notas, illas vt ſic iam appellem Aureas Notas, illas Bembini codicis Lectiones, ante triennium quidam à me Amicus meus accepit! an Amicus? accepit vt perderet, dederam ego vt in lucem mox venirent. Quia igitur à Clariſſimo BRANTIO nuper tuo nomine interpellatus ſum, tabellarium cum literis ad Amicum illum non Amicum miſi, librumque repetii: Sed quid? fruſtra omnia! non rem ſed verba dedit: blandus tamen non negat ſed procraſtinat. Deprehendo, mi ELMENHORSTI meum non eſſe, quod tam facile manumiſi. Et tamen adhuc vrgere pergam traditurus vel BRANTIO vel SCHOTTO ſi quid accepero. Delibaueram in Epiſtolarum mearum centuria I. & II. Emendationes quaſdam Apuleianas quas vt expendas rogo, &

vt opus tuum promoueas, illud vt dixi pulchrum & induſtria tua dignum oſtendes poſt BEROALDVM, STEWECHIVM, COLVIVM WOVWERENVM quid ſit bene de præſtantiſſimo Scriptore, bene de literarum ſtudiis mereri. Vale & à me quoque plauſum expecta. Louanij in Arce poſtrid. Kal. Sextil. M. DC. XIX.

ERYCII



ERYCII PVTEANI

SPICILEGIVM

in

APVLEIVM

Ex duobus manuſcriptis,

vno Bembi, cuius hec nota B.

altero Mangani, cuius ſignum tale M.

METAMORPHOSEON

LIBER I.

Titulus in *B.* variatur. in fine I. IV. V. VI. X. XI. *Metamorphoſeos*: in cæteris locis, *De aſino aureo* vnico titulo.

Paginarum numerum ad Elmenhorſtij editionem refero. Numerus prior paginam, poſterior verſum ſeu lineam denotat.

Pag. 102. v. 20, *Figuras fortunaſq;*] B. *& figuras formaſque*.

P. 103. v. 16. *In verba iſta hæc*] Ill. Pinellus *in verba iſta hui tam abſurda*: niſi placeat, *in verba iſthæc*.

v. 17. *Sititor*] B. *ſciſcitor* M. *ſciſcitor, al. m. in m. ſititor*.

verſ. 18. *Impertite ſermone non quidem curioſum*]

M. *sermonem*. hinc Beroaldus legit. *i. sermonem. non q. curiosum, &c.*

P.104.v.1. *inuersiteli*] M. *immissi teli.*

v.3. *eneruam*] B *eneruem.*

v.8. *quod ingressu primum fuerit stabulum.*] B. *quod ingressi primum fuerimus stabulum.*

v.9. *Hic tibi merces*] B. *hec t. m.*

v.11. *Sed tibi prius deierabo*] B. *Sed tibi pius detestabor.*

v.34. *vxor præsolutus feralibus officiis*] M. *funeralib.*

v.36. *Diffletis*] M. *defletis.* Sic postea *vbi defletum pro tempore comitem misellum*, &c.

P.105.v.12. *procliuis est*] B. *p. erat.*

v.25. *spoliationis diurnæ dum miserer.*] M. *spoliationis diuturnæ dum miser ref.*

P.107 v 3. *Nec minus saua*] M. *sceua*, vbique.

v.23. *In inuersum*] B. *vniuersum.*

P.108.v.19. *His editis*] B. *h. edictis*

v.35. *Hac itemtidem mecum replicabã*] B. *replicans.*

P.110.v.23. *Et cor ipsum mihi auelli*] B. *euelli.*

v.25. *Nam & breuitas ipsa com.*] B. *N. & crebritas ipsa commeantium.*

P.112.v.15. *Meliora inquam ominare: & post responde Dic oro.*] B. *Mel. inquit nominare*, & *potius responde an int.* deest *dic oro.*

v.30. *nulla est fibula*] B. *esibilia.* Hariolare.

v.34. *Litteris pronuntiat*] B. *litteris quarum tu lator fuisti pronunciat.*

P.113.v.16. *Egredientem continuatur*] M. *egred. comitatur. B. continuat.*

v.28. *Vix inquam piscatori extorsimus accipere viginti denarios*] M V. *i. p. extorsimus. accipe: viginti denariûm.*

v.34. *Iam iam*] M. *iam iam.* B. *iam inquit n.*

v.37.

v.37. *caritate deducis*] M.c. *deducitis*. Sic & Vulcanius.

v.38. *meo magisterio*] B. *nostro magisterio*. Sic Col.

v.40. *pisces inscendere*] M.p. *incedere*.

P.114. v.3. *prorsus obstupidus*] M.p. *obstupens*..

v.20. *defectum iam*] B. *refectum*.

LIB. II.

P.116. v.13. *Egregius ille signifex*.] Hinc firmatur locus in lib. de D. o Socratis: *Sed non pudet me non esse significem*.

P.117. v.3. *Hac tibi trepido & cauenda*.] M. *H. tibi trepidanda*, &c.

v.18. *Verum enimvero*] *B. Verum enim puto*.

v.35. *crebra succutiens*] B.M. *crebre succutiens*.

P.120. v.39. *tam duram*] B M *tam diram*.

P.121. v.1. *vtroq; regimine amisso*] M. *vtroq; remigeam*.

P.122. v.2. *Quod nobis sine feriali efficio*,] Leg. videtur *feciali*.

v.6. *In effusum laxa*] coniunge, *ineffusum*.

v.31 *breuem commeatum indulsit*] *B. indixit*

v.34. *præsidis auxilia*] *B. præsidiis a*.

P.123. v.32. *Indigna murmurabundus*] B. *indignans* M. *indigne*, *B. mirabundus* cum Coluio.

P.124. v.8. *conspicor procerum quendam senem. insistebat lapidem, claraq; voce prædicabat*] M. *insistentem lapidi, claraq; voce prædicantem*.

v.34. *Mille inquit nummi*] M. *numum*.

P 125. v.19. *Luci sufficiens*] desunt in B.

v.23. *An istic comissatum*] *B. an istic comensatum te venisse in ædibus c*. M. *an istuc comensatum t. u. c*.

v.27.*Desolatus ad cadaueris solatium*] B.*hic desolat.*

P.126.v.11.*inter ceteros familiares*] B.*nostros f.*

P.127.v.1.*In diuinam prouidentiam*] B.*in d.inquit prou.*

v.3.*Reducere ab inferis spiritum*] B. M.*red paulisper ab inferis spiritum.*

v.10.*Et adepta coptica*] B.*adepa & conceptica.*

P.128.v.7.*Sed tantum sopore mortuus*] B.*sed tamen sop.m.*

v.14.*Examussim*] B.*& auulso.*

v.41.*Vastulis corporibus*] B.*nastulis.* forte *masculis.*

LIB. III.

P.129.v.21.*Inequitabat*] M.*inquietabat.*

v.23.*vel vespertini*] *vel* abest in B.M.

v.27.*Tam amicus*] B.M.*tam mitis.*

Pag.130. *verum crimen non diff.*] B.M. *ver.crimen meum non diff.*

P.131.*Validissime viribus*] B.*me validis viribus.*

P.132.*Risucachinnabili diffluebat*] B.*defluentem.* & ita Coluius quoque hunc locum concinnat.

P.133.*dira factionis*] B.*d.facinoris.*

P.135.*non potest adsicere*] B.M.*adicere.*

P.137.*ex animo tibi volens*] M.*voles.remittam* B. *remitti.*

P.138.v.20.*ad tanta rei speculam*] B.*a.t.rei spectaculum* M.*specula.*

v.23.*Iubet spectare*] B.M.*iubet arbitrari.* Colui.

v.34.*magnis suis artibus*] B.*magicis suis artibus.*

v.38.*defrictis*] M.*fricatis.* B.*destrictis.*

v.40.*ad sensum præsentium*] B.*ad sens.pristinum.*

Pag.140. *cum asino capita conferunt*] B. *& asinus sap.c.* (*furt.c.*

P.142. v.14. *vel indicii futuri criminatim*] B.*v.1.*

v.16.*in asini faciem fœna rodebamus.*] B.M.*in asini*

specie

specie frena rodebamus. Adiuuat lectionem eadem pagina Apuleius.

LIB. IV.

v.36.*conterminis in locis*] B.M. *con.in hortulis.*

P.144.v.30.*Tam bellum consilium*] B.*t.velox cons.*

v.26.*tamdiu mortuo*] B.*tam imo mortuo.*

P.145.v.41.*inter foros sociorum*] M.*thoros.*

Nunc sorte ducti] *Tunc sorte ducti.*

Pag.149.v.6. *Medium è re nata*] sicuti Beroaldus habent.MS. B.M.*remedium è re nata.*

P.150.v.24.*Post hic vale*] M.*post hec.*

P.153.v.21.*Seque ad secla sueta conferre*] B.*seque ad secla sueta conferunt* M.*seq.a.s.consueta conferunt.*

v.32.faucium tendore] B.M.*f.tundore.*

P.154.v.6. *Iam facto lacrymis istis*] B.M.*Iam faxo lacrymis istis, quas paruipendere latrones consueuere, insuperhabitis viua exurare.*

v.11. *Scenam meæ calamitatis*] B.*s.m.captiuitatis, calamitatisque.*

v.31.*Trepido de medio*] B.*trepedum d.m.*

P.158.v.13.*Hic erunt*] B.*hac erunt.*

v.27.*Choragio itaque perfecto, deiectisque capitibus domuitionem parant*] Locus à Fulgentio citatus, in Bembino MSto ita legitur.

v.34.*per deuexa excelsa vallis subdita*] B.*per d.rupis excelsa vallis subdita florentis,*&c.

LIB. V.

P.159.*Hic ei summa*] M.*hac ei.*

P.160.*Hic diutino*] B.M.*hac diutino.*

P.161.*Tamen memineris*] B.M.*tantum memineris.*

P.162.v.26. *Egregia sorores*] videtur. *Regia sor.* legendum.

v.29.*Hiccine tibi*] B.*haccine* M.*Hoccine.*

P.163.v.19.*Nobis in vita*] B.M.*Nobis invita.*

v.31. *Denique cogitationibus*] B.M. *dinque cogitationibus.*

P.164.v.9.*teneritudini*] *B.teneritudine.*

v.16.*menses exeuntes*] *B.exiſtentes.*

v.18.*incrementulum*]B.M *incrementum.*

v.19 *teterrimaquefuria*] B.M *deterrimaque f.*

Sic ſecum altercantes] B.M.*altercantur.*

P.169.*cum te* ſcilicet]*B.cutem.*

P.170.v.10.*numine ſalutari*]B.M.*nomine ſalutari.*

irata ſolidum] *B.ſolitum in exil.*

P.171.v.35.*queritans*] *quiritans* B M.

propiter] *B.M.properiter.*

v.40.*mea ... cruciares*]M.*m.pollueres.*

P.172.v.38. *Et non dicendi filii mei factum*] B.M. *Et non dicenda filij mei facta.*

P.173.v.1. *Quod autem oramus, iſti crimen.*] *B.* M. *Quod autem damus iſti crimen?*

v.8. *quis autem Deum*] *B.M.quis autem te Deum.*

v.32. *Et operæ meſſoriæ modus omnis*] M.*mundus omnis.*

P.174.*tepentem amplexa*] B.M.*repente amplexa.*

P.175.v.15. *Quo rurſum itaque*]B.*quo miſerum itaque,*

v.22.*inquiſitionibus*] *B.*M.*inquiſitionis.*

P.176.*furenter irati*]M.*frequenter irati.*

P.177.*glomulum*]B.M.*grumulum.*

P.178.v.27.*Iam ego & ipſa*]*B.*M.*iam ergo & ipſam.*

cotibus cauatis]*B.*M.*cautibus cauatis.*

P.179.*magna quadam mihi*] *B.maga q.m.*

P.181.*petitu eſto*]B.M.*petitum eſto.*

Collocata]B.M.*colata.*

P.183.*Obiter*] M.*obiter B.ociter.*

ruinas proximas] *B.rapinas peſſimas* M.*rupinas proximas.*

P185.v.18.*Virginalibus monilibus*] *B.virg.manib. retinebar fortiter*] M.*renitebar firmiter.*

L I B. V I I.

P.189.*pendula vibrassem labia*] B.M.*pendulas vibrassem labias.*

P.191.*vnam mulierem putantes*] B.M.*Nam.m.p. abitùs.B.*M.*aditus.*

P.192.*epulas & alias res comparaturus.*] M.*epulas saliares comparaturus.*

P.193.v.4.*Inter lanceas & gladios istos*) *B.istos* deest.
v.6.*rursum recursas*] *B.*M.*rursum recurres.*
v.10.*prudenti asino*] *B.*M.*prudens asinus.*
v.39.*in proximas ripas*] *B.*M.*in proximas rupinas.*

P.194.*quaritabat*]BM.*quiritabat.*
v.11.*promitterent honores habituri*] *p.d.habituros.*
v.21. *Sarcinis & ceteris*] *B.*M.*Sarcinis & honerib.*
v.23.*Subibat me tamen illa etiam frequens cogitatio*] B.M.*subibat me cum illa etiam sequens cogitatio.*

P.195.v.5.*admissuram veterem*] B.M.*ad.venerem.*
v.26.*coturbabā vngulas*] *B.*M.*contribam vngulas.*
v.32.*lignorum vero tantum*] *B.*M.*lig.v.tanto.*
v.12.*vt incessu modo commota*] *B.*M.*vt incessu meo c.*
v.20.*idque iurans & nonnunquam*] *B.*M.*idque i. etiam n.*
v.23.*calces validos extuleram*] M.*cal. val. in eum extuleram.*B.tamen habet *etuleram.*

P.197.v.14.*auersam venerem inuitat*] *B.*M.*aduersa venerem.*
quidem viator] *B.quidam viator.*
cognito capistro] *B.*M.*cognitum capistro* Quod Coluius adnotauit. *(res.*

P.200.v.11.*vocis vsuram sumens*] *B.*M.*v.u.sume-*

L I B. V I I I.

P.201.*Viris antistaret.*] *B.iure antistaret.*

Pag.202.v.1.*In profundam romam cupidinis*] insignes coniecturas apud Coluium vide. Lectio manuscripti B.*in p.ruinam cupidinis.*

v.21.*obseptis campis*] B. *capis* M.*capreis.*

v.32.*qui cominus*] M.*qua cominus*,vel postea cum M.leg.*confectos.*

P.204.v.8.*vastis corporibus farcinosos*]B.*v.f.facinorosos.*

v.16.*cautione summa via*]B.*cautione summa via.*

v.19.*repigratur*] conformatur coniectura Lipsii *repigrato f.*

P.211.v.8. *Nec vllum vsquam miserrimum senem comparere illum*] M. *Nec illum vsq.m.s.comparere.in* B.*Nec vsquam miserrimum senem comparere illum.*

v.10.*qui eum prorsus hunc illum,nec alium locorum inquilinum praminabantur*] hæc in B.& M.absunt.

P.212.v.26.*mire repertum*] B.*inire rep.* Coluius hariolatur.

Clamores obsonos]M.*clamores obscenos.*

P.216.v.1.*securi saua*] B.M.*securi sua.*

v.2.*sed & ceteri*]M B.*sed ceteri.*

v.3.*simulacri iacentis*] B. M. *tacentis* vti Coluius notat ex vulgatis.

v.5.*Sarcinis plenis gladiis*]M.*Sarcinis planisque.*

P.217.v.14. *Adtutelam salubrem*]B.M.*ad tutelam salutis.*

v.37.*Mitillum*] B.M. *Mirtillum.* Sic pro *Hypatavium* B.M. *Hispasium.* Vide Coluium cuius coniectura confirmatur vtroque textu manuscripti.

P.223.v.31. *Subiungi machina nouitium clamabat asinum*] M. *dictabat.* B. *Sub iugum machina nouitium dictabat a.*

v.32.*insistens iubebat*] B.*institores iubebat.*

v.35.*Præsepio iubebar*] B.M.me iubebat.

P.224.v.35. *Secretum commonet*] B.M.*secreto commonet.*

P.225.*dominæ custodiam*] B.M.*custodelam.*

quorum viginti quidem] B.q.xxv. M.*q.viginti quinque.*

v.28.*Sublatis his*] B.M.*sublatis eis.*

P.226.*Iusso tantum Myrmece per conseruos vincto*] B.*Iussit Myrmecem per conseruos vinctum.*

P.227.v.22.*Apud naccam proximum cœnitabat*] B.*apud vicinum proximum cœnitabat.* Recte t. Colvius, *Naccam retinet & explicat* ex Festo *Fullonem.* Sic paullo post lego: *contubernalis mei fulonis vxor.*

Atque vltra limen tabernæ] in B.deest *Atque.*

P.229.v.23.*Ad locum proximum*] B.M.*ad lacum proximum.*

Sed magno vt aiebat] in.M.deest *Sed.*

P.232. v.10.*Frondoso casulæ contentus vmbraculo*] B.*l.c.contectus u.*

v.23.*oliui aliquid*] B.*olei aliquid.*

v.31.*clamore genuino*] B.M.*clangore genuino.* Interp.in margine *genuino.*

P.233.v.30.*finiumque mani*] B.*finiumque in eum.*

exiccare cadauera] B.*exsiccare.*

P.235.v.15.*rapto gladio*] B.*arrepto g.*

v.28.*ceruleus corruens*] B.*ceruulus* M.*cernulus.*

P.241.v.4.*filiorum morte percussus*] B.*f.m.perculsus.*

præconis vocatu] B.*præconis boatu.*

P.245.v.12.*quotidiani damni*] B.M.*q.dapni.*

Incontanter ei denique] M. *Incontanter eidemq;.*

P.249.v.40.*insita matri pietate*] B.*insita matribus pietate.*

P.254 v.12. *corpus candidum quod cœlo demeat, cærulum quod mari remeat*] *B.* M. *corp.c.q.c.d.amictus cærulus qui.* eodem modo quo Colvius vulg. citat.

P.259.v.4. *Maris salubria flamina*] M. *maris salubria flumina*

debebis opperiri] *B.d.operam* M. *d.operari.*

in eodem fano] B.M. *in eodem solo.*

FINIS.

SPICILEGIVM
IN
Apologiam
APVLEII,
post editionem Casauboni,
Ex MS. membranaceo BEMBI.

Pag.273.v.28. *Accusationem mei prius*] *B.a.nostri p.*
v.29. *apud se cogitatam*] *B.ap.s.cognitam.*
v.34. *& probandi mei*] *B.& p.nostri.*
v.38. *Grauios*] B. *Grauios.*
v.39. *patroni eius*] *B.patroni incessere.*
P.274.v.15. *quod cum tu*] *B.quod tu cum.*
P.275.v.6. *In philosophos ficta*] *B.in philosophos sueta.*
v.8. *ab his futiliter*] *B.ab his vtiliter.*
v.9. *deprehensa haberi*] B. *depensa haberi.*
v.10. *rabulis id genus*] *B.fabulis id genus.*
P.277.v.27. *sermo prait: qui, vt ait*] *B.s.p.qui sermo vt ait.*

P.178.v.35.*Fuisse serium virum*] B.f.*seuerum verum*: forte *seuerum virum*.

P.279.v.2.*Pars in amore meo*] vt refert Coluius ex Basi 1.

v.18.*sauia purpurei*]B.labia purpurei.

P.281.v.16. *Quippe eius amore*] *B.Quippe eius amorem*.

v.17.*incomptum*] B.*incorruptum*.

P.285.v.8. *At enim Manio*] B. *A.i.Manilio*, & suo vbique.

P.286.v.33. *Quod ea non simulata sed vere fungimur*] *B.qui eam non simulate f.v.f.*

P.287.v.15.*Necesse*] *B.*necesse est.

v.19.*aut tutor imminuit*]habet B.Casaub.*minuit*.

P.290.*scelera immunia*] B *scelera immania*.

P.292.v.5.*singula consideremus*] *B.singula largiter considerem*.

v.37.*mihi piscem,vt*] B.*mihi piscem euerteret,vt.*

multum ac diu hesitato]*B.m.a.d.hasitans*.

P.296.v.35. *Respondeo igitur ad hunc vestrum locum*]*B.respondeo igitur ad hunc vestrum iocum.*

P.259.v.34.*remedia vulnerum norant*] *B.r.v.nominant*.

Sic paullo post; *& leporenumarinum nominatis*.

P.302.v.6.*Quis ille fuerit puer*] B.*q.i.f.pueri* forte *quid illud fuerit pueri.*

v.18.*In Thallo despiciant*] *B.in Thallo despuant.*

pulcro pallio amiciat]B.*puro p.a.*

P.306.*responsum speret*] *B.respons.spectet.*

& regiam insedit] *B.egregiam insedit*; sed nihil mutandum vt apparet: confirmatur vero illa lectio Manuscripti in historia Psyches.

Repentino mentis nubilo.] Idem modus loquendi.10. Metamorph.p.190.ex edit.Col.

P.311.v.9.*profanos annuntiare*] *B.p.enuntiare.*

An Alexandriam tædio] B.*an Alexandriam testim tædio f.festim.*

P.317.v.23. *inuidiosissima criminatio*] *B.iniuriosissima c.*

P.322.v.4.*qui istum deperduint multi sunt.*] B.*qui istum deperdunt. multus honos.* forte : *Qui istum diperduint. Multus honos.* Tolerari tamen potest lectio Casauboni.

P.325.v.41.*Pontianum per forum ductans*] B.*Potianum flentem per forum ductans.*

P.329.v.37.*In ipso materno sinu ac in segete*] *B. in ipso materno, si nubat in segete.*

P.333.v.40.*Namque optimi viri literas ter & quater adeo quantonis temporis dispendio lectitarem*] *B. Iamque optimi viri literas ter & quater habeo quantouis tempore sine dispendio lectitare.*

P.338.*me adiuuante donata*]B.*me adnitente donata.*

At terras]*B.ad terram.*

P.339.v.12. *Caterum ad hæc quæ obiecistis innumera, binis verbis respondeam*] *B.Caterum ad hæc quæ obiecistis numera, an binis verbis respondeam.* In Epistolis meis.

v.24.*Si cum septem pennis*] *B.*nihil mutat.In Epistolis meis.

AD



Ad Colvi in FLORIDORVM LIBROS *Notas*

Addendum nihil inuenimus præter binas has coniecturas:

P.230. Editio. Colu.j, *ac modico mento laculatur*] Manuſcriptus Mangani: *ac medio mento ioculatur.* Quid ſi, *lacunatur?*

P.239. *Animalium immeditatos ſonores*] prætulerim *immediatos.* parique lima Sidonium in epiſtola de Theoderico rege adraſerim.

In Philosophicis Libris

omnes Mangani notas Vulcanius expreſſit. Has tamen addo.

P.60. Edit. Vulcanij *vela noſtra ſinuare & mittere*] Coluius *vela noſtra ſinuare & iam immittere. L.1. &* auram *immittere.*


In Libro DE DEO SOCRATIS

P.61. *Ex optimis horis*] Coluius *ad extremas horas* MS. *ad exiſtimas horas.* Ill. Pinellvs, *ad extimas horas.*

Finis.

IOANNIS BRANTII
S.P.Q. ANTWERPIENSI
ab Actis

AD APVLEIVM
SPICILEGIVM.



Clarissimo viro

GEVERHARTO ELMEN-
horstio salutem amicissimam.

Vir Cl^me.

O Gratas mihi expectatasque literas, ex quibus tuum erga me affectum liquidius cognoui. Nam qui vel ad vestibulum amicitię tuę admitti pro magno ducebam, in ipsum penetrale me receptum video, quo nomine tibi & gratias habeo, & ætatem debebo. Nostras in Apuleium Notas siue coniecturas, iam acceperis, nisi fallit (quod ab eius virtute alienum est) Holsteinius noster, qui per certum hominem ad te transmisisse scribit. Nunc postulo & flagito, vt explicas, quod & pollicitus, hoc est, sensum super ijs tuum candide aperias: si enim est vt lucem videant, volo tecum, sin aliter tenebris perpetuis me lubente damnentur. Non ita mihi manus pruriunt, nec tenet scribendi cacoethes, vt de existimatione mea in dubium miser venire velim. Ea mens mihi sola, vt pro tenuiculo viricularum mearum modulo, si qua possim, rei literariæ prosim, saltem collata simbola co-

nari videar. Vale vir Clariſs. & amorem erga nos tuum ſi meremur perſeuera, & rempublicam literariam conatibus tuis adiuvare perge. Antwerpiæ a.d. XXII. Nouembris, ANNO ∞ IↃ. C. XVII.

Tuus toto pectore

IOHANNES BRANTIVS.

AD L. APVLEII DE DOGMATE PLATONIS LIBRVM.

Pag.3.v.13. *Diuerſis opinionibus differentes*] *diffe-rentes*] lego.

Nulla ſpecie] pro *ſpeciei*. Vide Agel.lib.IX.capite XIV.

P.6.v.21. *Multiplicatis argumentis*] *augumentis* lego. vel *augmentis*.

v.29. *Ac facilem contuenti*] *conuerti* Diuinat Col. non male.

P.7.v.7. *Nec prius quam ſigna hæc in lucem ardere cœperunt*] Arnob.lib.1.aduer.gen. *Numquid ipſe Sol ſiderum princeps, cuius omnia luce veſtiuntur, atque animantur calore, exarſit?*

P.9.v.1. *At vbi repugnationes iſtæ nociuæ erunt*] f. *nocuerunt*.

v.39. *Nam ſi reſtent integra*] forte, *reſtent*.

P.10.v.39. *Atenim illæ optimæ ſunt partes*] Rectius in aliis *opımæ ſunt partes*, pro *opimæ*. quod defendit Caſaubonus.

P.11.v.6. *Diuiſæ per membra in totum hominem iu-vant*

vant spiritum] f. *diuisa per membra, in totum hominem iuuant spiritu.*

v. 11. *Et suscipi inguinum loco*] fortasse, *lacu.* vide notata ad Apol.

v. 12. *Ac cum totius corporis dicat esse substantias*] Legerim, *dicat tres esse substantias.*

AD L. APVLEII DE PHILOSOPHIA LIBRVM.

P. 14. v. 21. *Sed etiam concinnitatem præsegerat*] f. *inconcinnitatem.*

P. 15. v. 6. *vt ex se apta sit*] id est, connexa. Iunxit Cicero Partition. Orator. *Tanta se[illegible]rtis est, sic inter se sunt pleraque connexa & apta.* Idem Parad. 2. *Is est beatissimus, qui est totus aptus ex sese, qui in se vno sua ponit omnia.*

v. 16. *Imperfectas virtutes semet comitari*] *sibimet* lego.

v. 38. *Ad fungendum munus obediat*] f. *obaudiat.*

P. 17. v. 15. *Et iterum colorem ad desidiam sanguinis mutat*] f. *integrum,* aut *verum.*

P. 22. v. 12. *Quod d'strahatur semper additione vitiorum*] *addictione* Colu. *additione*, malim.

floresque succedunt] Num *fluoresque*, vel *linoresque?* Colu. sed nec illi, nec mihi satisfacit.

vel deducant eas ad pessimas partes] f. *artes.*

AD L. APVLEII DE DEO SOCRATIS LIBRVM.

Bono periculo periculum faciam] Lucilius, *cuius si in periculo feceris periculum.* Vide Agel. Noct. lib. XII. cap. IX.

Passis alis vtrumque prælabitur] *vtrimque* Colu. ego *vtcumque.* vt non semel in Asino.

P.42.v.12. *Nec hac postea video*] f. *nec post hac.*

v.32. *Nec non tamen intellectu eos mirabundi contemplamur*] lego, *rimabundi.*

v.41. *Ceterũ profana Philosophia turba*] f. *profana.*

P.43.v.1. *Priua vera rationis*] pro. *priuata.*

v.32. *Et prope exesa mansuetudine generis sui*] f. *excussa*, vel *exuta*. Margarita poetica, *exosa.*

v.36. *Ratione cluentes*] Magis placet editio Basil. *ratione plaudentes.*

Nullone contextu hac natura seiunxit] legerim, *in se iunxit.*

Pag.45.v.8. *Nam & iusiurandum dicitur*] Puto deesse verbum, *Iouis*. Nam & apud Cic. 3. de offic. ita legitur: Ennius. *O fides alma apta pinnis, & iusiurandum Iouis*. Lipsius legit, *Iouis iurandum.*

Curant singuli eorum prouide] lego, *singulis.*

Pag.46.v.25. *Quippe quum auis nulla earum vltra campi verticem sublimatur*] f. *parum vltra.*

P.47. v.6. *Sed quodammodo vtrimque seiugata*] Lego, *vtrimq, secus iugata.*

v.10. *Ne adsuperna incedant*] Colu. *ne adsuperna inscendant*. f. *incitent*, &c. *pracipitent.*

v.37. *Sicuti nubium tenus est*] Colu. Lipsio placere ait *nubium genus*. At vulgata mihi scriptura non displicet.

P.49.v.1. *Pati possunt omnia animorum placamenta*] Arnob. vii. aduer. gentes: *Ita dij immortales placamenta ista sumunt. quib. iras atq, animos ponant*. Corn. Tacit. xv. Annal. *Sed nõ ope humana, non largitionibus principis, aut Deum placamentis decedebat infamia.*

P 50.v.15. *Nullis bonis sedibus in terra vagatione*] *incer .. vagatione* Steubech. & Coluius fortè, *interuagatione*, vt Basil. 1.

vers.25.

vers.25. *Æsculapius vbique*] hoc propter Carthaginienses, vt tetigimus lib 4. florid.

P.51.v.12. *Periculosis viator*] *vitator* al. Quid i &, *iuvator*.

P.54.v.21. *Domos vice templorum exornatas*] *vicẽ*, lego & paullulo post quoque, *Tantali vicem*.

v.31. *Monilia varia gaza dependent*] rectius, quantum mea fert opinio, *variegata*.

AD L. APVLEII DE MVNDO LIBRVM.

P.59.v.22. *Et erumpunt, scatent flumina, fontes & maria*] f. legendum: *Et erumpunt flumina, scatent fontes & maria.* Vetus Poeta apud M. Tul. Tusc. 1. *fontes scatere, herbis prata convestirier.*

P.60.v.15. *Minores vero vltra Indos* &c.] Puto legendum, *Non minores vero vltra Indos, Taprobana & Phebol.*

v.33. *Sunt qui eam finitimis locis comprehendunt*] *eas*, lego.

Qui facti & Telluris habitu constant] f. *Quifartim è telluris habitu conflant.*

P.65.v.13. *Antistites denique ipsos semiuiuos esse*] *semiuiros* Colu. Et probo Plinio, *Simili modo Hierapoli in Asia Matris magnæ tantum sacerdoti innoxium.*

P.67.v.13. *Lauda quam putes speciem*] *putas* Margar. Poet. f. *potes*.

v.15. *Hic & per hunc illud quodcunque est*] Mar. Poet. *Hic per hoc aliud quodcunque est, inuenietur esse laudandus.*

v.35. *Micant ignes, inde rumpuntur*] *imbres* vet. ed. Ego lego, *unda*.

v.39.*Nec seculis debilitari excussum*] forsan *nec feturis debilitari exhaustam*.

P.68.v.2.*Ad omnem salutaria sunt*]*omnia* Colu. Ego *ad omne*. vt supra *Asino*.

P.69.v.13.*Quod sit cura lenioris*] Totum hunc locum sic lego: *Quod sit cura lenioris, fuscioris: quodque possint nihilo sequius facere dominorum imperia, ministeria seruulorum*, nisi illud *lenioris*, sit glossema. Aut nisi ita vt aliquid desit, *cura lenioris, opera facilioris*, aut *opera fuscioris*. Mox: *quem ab omni fuscitate ac perturbatione vident liberum*.

v.37. Sed omne Atticum regnum ab Occidente, Hellespontus terminabat] Mendosum. quid si *Persicum*? longe recedit à literis. quid si *Medicum*? longius à veritate. Quid si *Asiaticum*? proxime accedit ad veritatē. Quid si, *Asicum*? Iam pura puta veritas est.

v.41.*Et nuncij specularum incensores assidui*] Colu. legit, *inscensores*, vel *inspectores*, quia in Græco, φρυκτωρίων πέ πονήτρες, Sed neque Apuleius semper Aristotelem sequitur, & vero hic optime, *incensores*, quadrat: fumo enim & flammis speculatores signa dabant. Adi Lips. de militia Romana lib. v.

P.70.v.40.*Atque vno sinu abeundi facultas*] legitur in margine Basil.2. *atque vbi simul*, id est, simul atque, Lego, *vnose*, & τὸ simul eius glossema est. Nonius Marcellus: *vnose id est simul*. Pacuuius Iliona: *Occidisti, vt multa paucis verba vnose enunciem*.

P.71.v.20. *Ad instar vnius concentionis reuelat*] Io. Isacius, *euelat*, legit Festus: *Euelatum, euentilatum. Vnde velabra, quibus frumentum ventilatur*. Propert. lib. III. eleg. XIII.

Vt mihi prætextæ pudor exvelatus amictu.

v.23.*Sol quidem contuens ortu suo diem pandit*] Basil.II.

ſil. 11. & Ald. *Sol quidem omnituenti ſuo.* lego *omnituens ortu ſuo.* Iuuant verba Ariſtotelis quæ Coluius adhibet : ὁ Παμφαὴς ἥλιος.

Pag. 75. v. 9. *Alii hoſpitalem amicalemque*] Quidam libri *amicabilem*, ſed retineo, *amicalem*, *id eſt*, φίλιον.

AD L. APVLEI METAMORPHOSEON, SIVE DE Aſino aureo

LIBER PRIMVS.

Argumentum mutuatus eſt à Luciano, quamquam ipſe alia quædam immiſcuerit. ſtylus eius in eo argumento valde decorus & bonus, & mirum in modum æqualis: quæ magna virtus in ſcriptione.

Libellus autem qui *De Herbis* inſcribitur, non recte illi adſcribitur.

Pag. 103. v. 6. *Me equo indigena per albo vehens*] Lege tum, *in equo indigena per albo vehens.* Quadrigarius Amali v 1. apud Agel, lib. 11. *ei conſuli pater proconſul obuiam in equo vehens venit. vehens* pro eo qui vehitur. ſcilicet neutrum pro paſſiuo veteribus crebrum. M. Tul. in Bruto ſiue De claris orator. *cuius in adoleſcentiam per medias laudes, quaſi quadrigis vehentem.* pro qua voce non recte ibi à Dionyſio Lambino ſupponi *volantem*, iampridem viri docti obſeruarunt. Sic Suetonius Domitiano cap. x 1. *Quoad nouiſſime ſimul geſtanti*, id eſt, dum ſimul geſtaretur in eſſedo.

v.4. *Eum Thessaliam*] Deme, *Eam Thessaliam*, nec sententiæ quidquam detraxeris. Sed amat *Apuleius* easdem dictiones interrupto sermone per hypostigmen elegantiæ studio iterare. lib. 11. florid. *Verbaque quæ volutantia Poetæ appellant, ea verba, detractis pinnis*, &c. Et alibi sæpiuscule. Quod & aliis scriptoribus per esse familiare, ex eorum lectione deprehendere est. Iurisconsultos etiam ipsos hinc non abhorruisse singulari capite ostendit iuris ipse consultissimus Iacobus Rænardus Variorum libro quinto.

v.20. *Iugi, quod insurgimus, asperitudinem*] Malo cum vet. Cod. legere, *aspritudinem*.

v.24. *Lunam despumari*] Et hic cum eod. Cod. *dispumari*, lego.

v.34. *Dū polenta caseata*] quæ in vulgatis codicib. subiunguntur, *mordico securius*, vel, *modico securius*, (quod laudatur I Britannico veteri Iuuenalis interpreti) quia in MS. non sunt, inducuntur à Petro Coluio eruditissimis suis in hunc auctorem notis. Si cui tamen retinere visum, illius pace legerit, *mordicus securi in conuiuas æmulos contruncare gestio*. Ioannes Isacius Pontanus suis in Macrobium conabatur, *Dum polenta caseata immordico securius, offulamque grandiorem*. Sed quid si, *modico prius*; vt mox, *modico prius, quam Larissam accederem*, aut, *modico sequius*, vt alibi hoc ipso libro quoque legendum monemus.

Pag. 104. vers. 22. *Id omne præstinaturos*] Quod in membranis legitur, *ad omne*, vt adprobem facit Cyprianus, qui, *ad* particulam *Afris* in vsu esse testatur. Noster mox, *& ob id ad aquas sterilem*,

Petronius

Petronius *Arb.* Satyr. *Qui solebat aliquando & ad causas agere.*

v.33. *At vero domi tuae iam defletus*] MS. *domui tuae*, rectius multo & concinnius.

P.105.v.1. *Ita vt ab vmbilico pubetenus caetera enudaret*] magis amplector scripturam, quę habet, *renudaret*. Nam & lib.2. *laciniis cunctis suis renudata*.

Dextra saeuiente frontem replaudens] Vulgo *dextra seruiente*. Vnde vnica extrita litterula & paullulum immutata altera, *feriente*, legit R.P. *And.* Schottus obseruat. Human. lib.1. cap.v. frontem enim in dolore & indignatione percuti solere.

P.106.v.6. *Nam vt se ament efflictim non modo incolae*] Sic locutus M. Tul. orat. de *Arusp.* responsis, *Quam volumus licet ipsi nos amemus.* Et 1. de offic. in princ. *Quod cuiusq; temporis officium sit, poterimus, nisi nosmet ipsos valde amabimus, facile iudicare.*

Ab insequentibus repraecisione genitalium liberatur] Idem M. Tul. orat. pro M. Scauro, cuius nunc tantum exstant fragmenta: *Redimunt se ea parte corporis, propter quam maxime expetuntur.* Iuuenalis Sat. XII. de hoc ipso *Castore qui se Eunuchum ipse facit, cupiens euadere damno Testiculorum.*

v.22. *Et vt cuncti numerant, octo annorum*] MS. pro, *numerant*, *sciunt numerantia*. Quod Colvius ingenue fatetur nescire quid sibi velit. Ego inde facio; *Et vt cuncti ciuium numerant, iam octo annorum.*

Ante portam proiecta domo discessit] Mihi magis arridet, *discedit*.

Ac diurna fatigatione] *diuturna*, aliàs, nō male.

Paullulum conniueo] Malim, *coniueo*.

Lucernam lucidā gerebat vna] econtra Petron. Arb. *facem fumosam magis, quam lucidam quassans.*

P.108.v.19. *Varicus super faciem meam residentes*] MS.*varicis*. Lego, *varicitus*. Ex Aduerbiis in *us*, quæ passim occurrunt, *publicitus, primitus, mordicus, imitus*. *diuaricari* legas apud M. Tull. Verr. vi. *hominem diuaricari ac religari iubet* apertis cruribus distendi.

v.27. *Verum etiam ipse mihi superuiuens*] D. Cyprianus sermone de lapsis: *Animam tuam misera perdidisti, spiritualiter mortua superuiuere hic tibi, & ipsa ambulans funus tuum portare cœpisti, & non acriter plangis, non iugiter ingemiscis?* Aliter Sidonius Apollinaris lib. ix. Epist. ix. *Quique viuentibus non defuturus post sepulturam, fiet per ipsa, quæ scripsit, sibi superstes.*

Et postumus] Fortunatus ad Gregor. Turon. *quasi sibi postumi viuere creduntur.*

v.30. *Si resistere vir tan us mulieri nequibas*] Repono, *vir natus*. quasi dicat, robore vir es, & sexus fortem magis te fecit, quam vt non posses mulieri resistere. facit huc Petronii locus: *Sed ne quid tristius exspectarem, comitatus faciebat. Tres enim erant mulierculæ, si quid vellent conari, infirmissimæ, scilicet contra nos, quibus si nil aliud* (aut, vt alii legunt, *scilicet contra quas si nihil aliud*) *virile sexus esset, quod auxiliaretur.* Aristoteles lib. 9. de Animal. *feminæ, quam mares, minus sunt animosæ.* Vnde Nausistrata Chremetis apud Terentium Phormione, minabunda, *virum me natam vellem, ego ostenderem.*

P.110.v.17. *Medici fidi*] Parùm bonæ fidei hic locus, quem emendare multi sunt conati. Iustus Lipsius eximium illud Belgarum ornamentum volebat, *medicifici*, vel *medicifices*. Ioannes Isacius, *Medi-*

cini,

cini, aut potius, *medici filij*: omnium optime Gaſper Scioppius, *medicum filij*, vt Græci ἰατρῶν παῖδες.

Cibo & crapula diſtentos ſæua & grauia ſomniare autumant] Econtra *viget animus in ſomniis, liberq́ue ſenſibus ab omni impeditione curarum, omnia, quæ in rerum natura ſunt, videt, ſi modo temperatis eſcis modicisque potionibus ita eſt affectus, vt ſopito corpore ipſe vigilet*. M. Tul. 1. de diuinatione.

Explere latice fontis lacteo] Idem ille Iſacius, *bracteo*, *Bracteam* laminam quandam tenuiſſimam ex Iſidoro ſcimus, hinc *Bracteus*, & *Bracteum*, quod politie & leuigatura probe & decenter exaſciatum ſit: qualis in ſpeciem vel hic amnis depingitur Apuleio. *Bracteata felicitas* apud Senecam Epiſt. cxv.

Pag. 110. v. 18. *Quod poculis veſperi minus temperaui*] Mercurius de Ioue, apud Plautum Amphitr. Ac. 1. Sc. 1. *inuitauit ſeſe in cœna pluſculum*.

verſ. 20. *Vir, vt habitus & habitudo demonſtrant, ornatus accedis huic fabulæ*] Godeſcalcus Steubechius, vt eſt ipſe egregie cordatus homo, ita ſane nimis quam ingenioſe legendum contendit, *cordatus*. adhibito Apuleii loco lib. 5. *Mater autem tu & præterea cordata mulier*. Eſt quidem optima iſta emendandi ratio, cum auctoritatem auctor ipſe ſuam adcommodat. Sed & Apol. 11. *Præſens eſt quæſtor publicus, cui depenſum eſt, Coruinus Celer, vir ornatus*. Feſtus ſiue Paullus: *Ornatus dicitur & bonis artibus inſtructus, & honores adeptus*. Nihil cauſſæ vt videam quamobrem vulgatam voculam aut mutemus, aut vt Scioppio ſic hoc videri video, deleamus, etiam præſertim cum ea vis quædam & pondus verbis Apuleij accedat: viri enim ornati *auctoritatem nullam*

debent nec fidem commentitiis rebus adiungere, vt auctor est M. Tullius II. De diuinatione.

vers. 22. *Sed vtcunque fata decreuerunt, ita cuncta mortalibus prouenire*] In hanc sententiam Seneca Epist. LXXVII. *Rata & fixa sunt* [fata] *atque magna & æterna necessitate ducuntur.* Noster mox lib IX. *Nec consilio prudentis, vel remedio sagacis, diuinæ Prouidentiæ fatalis dispositio subuerti vel reformari potest.* Quinimo *ineuitabilis fatorum vis cuiuscunque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit.* vt est apud Velleium Paterc. lib. II. histor.

P. 112. v. 6. *Et habitu mendico semper incedit*] Scilicet *in diuitiis inops, quod genus egestatis grauissimum est.* Vt scribit Seneca Epist. LXXIV.

v. 10. *Et cum dicto, modico secus*] lego, *modico sequius*, vt superius monui.

v. 18 *Litteras ei à Corinthio Demea scriptas*] Manuscr. *Demea viro.* forte *Demea Duumviro.* Scriptum erat II VIRO. aut quid tale. Magistratus erat, qui Coloniis & municipiis præerat, à numero ita dictus. Duumvir Madauræ fuit Theseus Apuleij pater.

v. 37. *Sed non impune. Iam enim faxo scias*] Simili plane modo Petron. Arb. *Sed non impune. Iam enim faxo sciatis*, &c. Minandi formula, qua & hic noster sæpe vsus aliàs

P. 114. v. 12. *Iam obstinationis suæ*] *obstinationi*, malim.

Quid tam magnis preciis pisces friuolos venditatis? Malo, *indicatis.* nam & supra, *quod centum numis indicarent.*

AD L.

AD L. APVLEII METAMORPHOSEŌN LIB. II.

P.115.v.12. *Aurum in gemmis, & in tunicis, ibi inflexum*] Mavult Lipsius, *implexum*. *Hic intextum*] Cypria. de bono pudicitiæ: *vestibus aurum intexere quasi pretio est vestes corrumpere. Quid inter fila staminum delicata rigida faciunt metalla?* &c. Virgil. VIII. Æn.

——— *chlamidemq; auro dedit intertextam.*

v.21. *Cætera corporis inexplicabiliter*] Ita MS. & in margine, *inexecrabiliter*. In vulgatis est, *exequabiliter*. Malim propius Apuleianum stilum, *inexæquabiliter*.

v.25. *Et immeditatus incessus*] Ven. Bas. 1. & 2. *immediatus*. Quid si, *immetatus*? Petron. *Quo incessus tute* [f. *scite*] *compositus, & ne vestigia quidem pedum extra mensuram aberrantia?*

Et alioqui inf. lib. IX. pro *metatorum*, *meditatorum* in MS, erat *mediatorum* in vulgatis.

v.29. *Et eandem nutricem simul bibimus*] ὁμογάλακτες Arist. li. 1. Polit. eodē lacte nutriti, collactanei.

Pag. 116. v.2. *Attollebant statuas Palmaris Deæ*] *Attollerabant*, MS. bene, vt inf. *mensula cœnæ totius honestas reliquias tolerans*.

v.4. *Plantis roscidis decitantes*] lego, *deicitantes*, siue quod idem est *deijcitantes*, id est, deiicientes.

v.23. *Vt vite pendentes racemos*] codex scriptus *rue pend. rac.* Ven. & Bas. 1. *rure pe. ra.* lego leuicula mutatione, *vere*, quasi *cum ipsius naturæ veritate certantes*, vt Petron. loquitur. Martialis de Issa catella Publi:

Issam deniq; pone cum tabella,
Aut vtramq; putabis esse veram,
Aut vtramq; putabis esse pictam.

v.26. *In dorsum proiectus*] Manusc. *ide iam proie.* legerim. *in Deliam*, sed potius *in deam.* vt supra hoc lib. *at illa obtutum in me conuersa.* Deliæ deæ mentio Horatio lib. IV. oda VI.

v.27. *Dum hæc identidem rimabundus*] forte *mirabundus*, vt post paullo, *isto aspectu defixus obstupui, & mirabundus steti.*

P.117. v.10. *Manu eius velut cathena quadam*] MS. *& manu eius.* forte, *ex.*

v.35. *Et in orbis flexibus*] forte, *orbicis.*

P.118. v.4. *Nam si te vel modice meus igniculus afflauerit, vreris intime*] Artemidorus lib. II. cap. VI. οὐδὲν οὕτως, τὰ σώματα θερμαίνει, ὥσπερ πῦρ καὶ γυνή, *nihil tam corpora calefacit quam ignis ac femina.* Noster lib. 8. *flamma sæui amoris parua quidē primo vapore delectat, sed fomento consuetudinis exæstuans immodicis ardoribus totos adurit homines.*

Petron. Arbiter

—— *tenta modo tangere corpus.*

Nam tua flammifero membra calore fluent.

Sulpitia ad Cerinthum apud Tibul. lib. IV.

Vror ego ante alias, iuuat hoc Cerinthe quod vror,
Si tibi de nobis mutuus ignis adest.

Plura nos ad Terent. Eunuch. Ac. I. Sc. II.

Accede ad ignem hunc, iam calesces plus satis.

instar speculi] V. L. *ad instar.*

v.41. *Sed inordinatus ornatus addebat gratiam*] *erat ornata hoc ipso quod ornamenta neglexerat, vt mulieres ideo bene olere, quia nihil olent, videntur*: vt scribit M. Tull. lib. II. Epist. I. ad Attic. Et in oratore: *mulieres esse dicuntur nonnullæ inornatæ, quas idipsum deceat.*

Quid quod sæpe decor, cum prohibetur, adest?

vt

vt eſt in veterum poetarum Catalectis.

Pag. 119. v. 26. *Veneris hortator & armiger Liber*] *Verbum hercle hoc verũ erit, ſine Cerere & Libero friget Venus*, ait Chremes Terent. Eunuch. Vnde apud hunc noſtrum lib. v. Venus *inimicam* ſuam *ſobrietatem* nominat. Econtra Horat. lib. III. od. XVIII. *Craterem Veneris ſodalem.*

v. 32. *Concinnaticiam menſulam*] Concinnaticam Manuſ. Solinus in præfat. 2. *Vt nec in eo prodiga ſit copia, nec damnoſa concinnitas.* Et cap. I v. *Egrediemur propoſitæ concinnitatis modum.* Concinnitas autem illi breuitas eſt.

Pag. 120. v. 2. *Sunt, aio, prima*] *plurima*, forte. *Priua*, Colu. quod nec reijcio. Cyprian. *quando ſtatuerim nihil, &c. mea priua ſententia gerere.*

v. 30. *Oſculatur artiſſime*] Editio Baſil. *Exoſculatur.* quod magis placet.

Variis turbinibus procellarum quaſſata] MS. *tribulationibus.* Vnde ſuſpicor, *turbinationibus.* ſed ſuſpicor tantum.

P. 121. v. 2. *Præceps demerſa eſt,*] Malim cum edit. Baſil. *Præcipitio dem.*

verſ. 28. *Et lagena iuxta orificio ceſſim dehiſcente Pateſcens*] Notat Coluius pro *iuxta* legi in manuſ. vetere. Et neſcit quid ſit. Ego inde lego, *Lura. & Lagena Lura ceſſim dehiſcente pateſcens. Lura*, eſt os culei vel vtris, teſte Feſto. vt illud *orificio* ſit gloſſema τῆ *Lura.*

v. 29. *Prorſus gladiatoriæ veneris antecænia*] *Antecæna* mavult Lipſius, quem adi Cent. I. Epiſt. LXV. ad Bonavent. Vulcanium.

v. 31. *Iacta proximat roſa ſerta, & roſa ſoluta*] Roſæ etenim aut ſertæ aut ſolutæ: Hæ ad ſpargendum,

illæ ad coronandum. Q. Minutius felix: *Quis autem ille, qui dubitat vernis indulgere nos floribus? cum cupiamus & rosam veris & lilium, & quicquid aliud in floribus blandi coloris & odoris est. His enim & sparsis vtimur mollibus ac solutis, & sertis corolla complectimur.*

v.33. *Ac desuper aqua calida iniecta*] forte τὸ *aqua* redundat, & ex glossemate in textum irrepsit.

v.34. *Porrigit bibam, idque modicum. Prius quam totum exorberem*] Lego, *bibam. Idque modico prius, quam totum exorberem.*

* P.123.v.10. *Frequenter offerentes*] Bas. ed. *frequenter offerre*. vt sit infinitivus pro indicativo.

v.18. *Omni denique prouinciæ voluptarij secessus summus*] scriptus liber, *successus*. Iuuo & firmo loco vno & item altero *Arnobij* 11. aduer. gen. *Aut quod structis domibus & lautioribus successibus institutis non antiquas adamauerint casulas.* lib. V. vbi de Proserpina: *raptam virginem secum vehit, & terrarum abscon ditur successibus rursus.* Rursum lib. VII. *An hiatus aliquis, aut ex molibus inequaliter aggeratis successus quidam & fornices, in quos intulit se raptim circumscripto tuentium visu.* Glossæ Græco-latinæ, *Successus* ὑποχώρησις.

v.26. *Perpeti celeritate*] magis placet *prapeti*, id est, præeunte. *Aues prapetes*, quæ prosperius præuolant, apud Agel. lib. VI. cap. VI.

P.124.v.1. *Et instar oratorum*] V. Lib[illegible] *ad instar.*

P.125.v.31. *Mihique oppido formido cumulatior*] *cumulatur*, malim, vt Lib. IV. *nunc etiam redintegratur, imo vero cumulatur infortunium meum.*

P.126.v.29. *Genialem caniciem reuellens*] MS. *inuelleras*. Vnde Colu. *vellicans*. Ego, *inuolans*.

P.128.v.16. *Tentare fortunam aggredior*] Coluius, *tentare forteiam aggredior*. Ego, *protinam aggredior*, pro continuo. vt sæpe, Plautus & Terentius.

v.40. *Dumque iam iunctim proximamus*] lego, *iuxtim*. Sic supra hoc lib. II. vbi vulgo, *iuxta se vt assideret* in vetere libro legi, *iuxtim se*, testis est Colu. Et lib. IV. florid. extr. *sed vbi iuxtim consedit*.

[illegible] L. APVLEII METAMORPHOSEON LIB. III.

P.129.v.39. *Ciuitas omnis in populum effusa*] Tent[illegible] *in pop.licum*, vel quod etiam aliis in mentem [illegible] *in publicum*. Pro vulgata stat Ioan. Isacius, vir [illegible] liberali doctrina perpolitus.

P.130.v.33 *Circumirem*] v.c. *circuirem* quod magis placet.

P.131.v.19. *Quod plane verum crimen*] forte *vnum*.

P.132.v. 1. *Conspicio prorsum totum populum.*] Manus *prorsus*. al. *rursus*, Scrib. *rursus prorsus*, aut, *rursum prorsum*. & mox pro *diffluebant*, *diffluentem*. cum Coluio. Ennius *Andromeda* apud Nonium: *Rursus prorsus reciprocat fluctus viam*. Apud Terentium: Hecyra: *Cursari rursum prorsum*.

v.25. *At tunc sic tacitus mecum*] Supra lib. I. *hæc identidem mecum*. Et lib. X. *Sic ipse mecum*; vbi tamen adulterina vox, *replicabam* Terent. *And. Egomet continuo mecum*. M. Tul. lib. IX. epist. VII. ad Varron. *Mecum ipse, mecum*, cum meo animo. Plaut. Trinummo *Ac. II. Sc. I. hæc ego cum ago cum meo animo & recolo*. Homerus sæpe, loqui cum suo corde.

v.32. *Quo peremptorum cadauera contecta fuerant*] fuit cum, *contecta*, mallem, nunc muto, & non muto.

P.134.v.21. *Dignioribus meiſque maioribus*] membranæ, *meique maioribus*, non male Græciſmus, quẽ temere non imitemur.

P.135.v.7. *Non exlata facie*] Ita retineo. Supra lib.2. in fine *ex ſummis viribus irruentes*. *Apol.*1. *vnus literarum ſtudiis ex ſummis viribus deditus*. *Alibi*: *ex ſummo ſtudio fugiens immanem vrſam*. Ita *exlata facie*, vt apud Sueton. Caligula cap. L. *colore expallido*. *exalbido* apud Plin. lib. XII. cap. XVII. quomodo & *exalbeſcere* dixit, Cicero I. & III. de Oratore. Sic *exaridus*, Pacuuius, *expauidus* Agellius lib.I. cap. VIII. Sed & Symmachus magnus Apuleij imitator lib. VII. Epiſtola CXXVIII. *Amor*, inquit, *in te meus exſummis opibus annititur, vt indies*, &c. *ex* præpoſitio vim & poteſtatem verbi amplificat, vt monet *A*drianus Turnebus *A*duerſar. lib. XXIV. cap. XXXI.

v.41. *Formido ſolide domus huius operta detegere*] Quidam, *ſolide domus* quod imitatione ſua videtur confirmare Sidonius *A*pollinaris lib. IV. Epiſt. VI. cum ait: *Et ſolide domus ad hoc aui inconcuſſa ſecuritas*. Placet vulgata editio Iano Gulielmio *formido ſolide* eſt vehementer, ad modum quem vide in Plauti Trinum. cap. IV.

Pag.136.v.23. *defecti humi iacebant*] *humidi* V.C. lego *humus*.

v.29. *Magiſtratibus te conſtanter obijciam*] Malim, *incontanter*.

v.38. *Et iam pendentes cernerem*] f. *tendentes*.

P.137.v.10. *Alibi trucidatorum ſeruatus cruor*] lego, *ſeratus*, id eſt, in ſerum coactus.

v.26. *Sed vtricidam amplecterer*] Puto latere etiam obſcænum iocum, quaſi ab vtero cædendo. *Cædere Hillas*, inter deuirginata eſt.

P.138.

P.138.v.14. *Etiam in alium diem nos attinuit*] f. *in altum diem*, vt video probatum quoque doctissimo Casperi Scioppio sua in hunc auctorem symbola Critica.

v.25. *Pixides plusculas inde depromit*] fortasse, *indidem promit*. Plaut. Pseud. *Act.* II. Sc. IV. *Quid si opus siet, vt dulce promat indidem, ecquid habet?*

v.35. *Volens reformatur*] f. *solens.*

P.139. v 2. *Per istas tuas papillas*] *Pupillas* legit Lips. refertque ad modum rogandi per oculos.

Exibis asinum] Solinus cap. II. *hominem exiuit* vbi tamen Aldi editio anni M.D.XVIII. *exuit*, legit. probatque Turnebus *Aduers.* lib. XVI. c. VI. Et hoc loco, *exues asinum*, legit Fuluius. Quomodo & Minutius felix locutus est *Hercules vt hominem exuat, Oeteis ignibus concrematur.* Hic tamen *exibis asinum*, præferam propter anthiteta: *statimque in meum Lucium postliminio redibis.*

P.140. v.34. *Secreta numina*] In Palatino, *sacra numina* fortassean legendum, *sacrata numina*. vt apud M. Tul. 3. de Offic. *fide sacratum ius.*

P.141. v.1. *Lucius de nouo futurus*] *denuo*, pręferam.

v.2. *Equi perfidiæ*] Rectius, *equinæ.*

v.4. *Simulacrum residens*] Malim, *præsidens.* & ita Douza.

Ædiculæ] Lips. *sediculæ*. Ego vulgatam retineo.

v.15. *Quærens inuenire*] Magis placet, *quæritans eruere.*

v.18. *Percussis iannis*] f. *perculsis.*

P.142. *Rosæ virgines*] sic econtra *rosam anum* dixit Auson. Edyl. 6. *famam anum* Catul.

——— *Et qui sis fama loquetur anus.*

Chartam virginem Martial. lib.1.Epig.67. quam Vlpianus, *puram*.

AD L. APVLEII METAMORPHOSEON LIB. IV.

P.143.v.13. *At me conuallem quidem vsque iam*] *vspiam*, lego.

P.145.v.23. *Et vita dedecus primum*] *priuum*, Col. vulgatam repudiandam non arbitror.

v.24. *Sic nobis otiosa domi residens lusitabis?*] MS. al. *iusicabil*, forte, *ministrabis*, vel *mussitabis*, aut potius, *mutitabis*. Quid si etiam, *morsicabis?* facit quod apud Festum legitur *munitio, morsicatio ciborum*. Vnde forte legendum, *munitabis*, forte etiam, *incilabis*. Mihi nescio quid tale subolebat. Doctores iudicent, & explicent æstum meum. *Bene qui conijciet, vatem hunc perhibebo optimum.*

v.25. *Et tam sera refectione*] f. *sera profectione.*

P.146.v.1. *Pulmentis aceruatim, panibus aggeratim, poculis agminatim ingestis*] Aduerbia in *im*. vt apud Terent. *cautim, paulatim, vnciatim*. & in historia Sisennæ apud Agel. lib.12.cap.15. *cursim, properatim, celatim, velitatim, saltuatim*. Apud Non. Marcel. *pedetentim, pedepressim, adamussim, centuriatim, fluctuatim, guttatim, alternatim*. Ex quibus & *pedetentim* legas apud M. Tul. lib.9. Epist. 14. ad fam. & *centuriatim* orat. pro L. Flacco. Apud eundem II. de orat. *furtim, cursim*. Noster de Deo Socratis, *singulatim mortales, cunctim tamen vniuerso genere perpetui*, & vsurpant passim alij auctores.

v.5. Qui

v. 5. *Qui robore cæteros anteibat*] Magis probo, *antistabat*.

verſ. 25. *Vix enim Thebas Heptapylos acceſſimus*] pro vocula *vix*, *nox* repono, id eſt, noctu. vt apud Plautum. Aſinar. *Nox ſi voles, manebo*, & in 12. SEI. NOX. FVRTVM. FACTVM. ESIT. apud Macrobium lib. 1. Saturn. capite 4. Nam illud, *quod eſt huic diſciplinæ primarium ſtudium*, vix video, quo referri poſſit, niſi hic ita, id eſt, *nox*, legamus. Tum enim explicabitur hic locus, & alio infra: *Et ex diſciplina ſectæ ſeruato noctis illumino tempore, quo ſomnus obuius impetu primo corda mortalium validius inuadit, ac premit, & examuſſim capto noctis atrocinali momento.* ſcitum Iuvenalis illud, *Vt iugulent homines.* & *nocturnus graſſator*, apud Petronium.

P. 147. v. 15. *Ac dum trepidi regionis vrgemur*] lego cum manuſcript. C. *vrguemur*, ſic enim hanc vocem antiquitus ſcribebant.

v. 22. *Cur enim manu*] *manui*, lego. vt & ex MS. Fuluiano Scioppius.

v 27. *Ictu fortiſſimo tranſadigit*] f. *tranſadegit*. Sed malo cum B. 1. edit. legere, *tranſadit*. Sic alibi, *per medias acies infeſti militis tranſabij*.

v. 31. *Tamen ſaunm fortunæ nutum non potuit abducere*] Coluius, *num aufugere, an abdicare?* Ego vtrumque abdicauerim, & fortaſſe repoſuerim, *obducere*, quod apud Tertullianum ſæpe occurrit pro vincere. Vt libro de carne Chriſti circa finem, *hoc quidem capitulo ego potius vtar, cum adulteratores eius obduxero.* Et aduerſus Praxean: *Vndiq; enim obducti diſtinctione patris & filij.* obducti, id eſt, conuicti, vt exponit Beatus Rhenanus.

P.148.v.17. *Bonum secutorem Lamatho dedimus*] qui Lamathum sequeretur comitareturque ad Orci domum. Sic eum explicat I. Lipsius lib. 2. de gladiator. cap. 5. *a secutoribus* olim in militia, qui Tribunos comitabantur, velut loco apparitorum. A quà notione lib. 11. *Myrmecem acerrimum relinquens uxori secutorem*, id est, adseclam, comitem, qui illam quasi umbram, quoquo iret, persequeretur. Aliter Ios. Scaliger Castigation. in Manilium, qui ad rem gladiatoriam respexisse Lucium vult, in qua vi[illegible] aut interfectis qui suffi[illegible]iebantur, Græci ἐφ[illegible] Latini *subdititios* & *secutores* vocabant. Martiali[illegible] etiam *supposititios* lib. 2. Epigr. de Herme. gladiatore. Legit autem uterque pro *Lamatho*, *Lamacho*.

P.149.v.4. *Tenuato ventri cogit sordentia supplementa*] Vitiosum hoc, bono certe meo periculo corrige, *explementa*. è Seneca epist. cx. *Si scieris cacumina arborum explementum esse ventris*. Plaut. Sticho Ac. II. Sc. 1. *Inanimentis explementum quærito*.

v.6. *Ego & iste Babulus*] Beroald *Bardulus*, Colvius, *Bubalus*. Ego à vulgata non recedo, Terent. Adelph. *Iube nunc iam dinumeret illi Babulo viginti minas*. Ut Nannius illam vocem per me quidem sollicitare desinat.

Tunc tenui sarcimine] Malo cum aliis editio. legere, *acumine*.

Ut ipse habebat, è suis loculis adnumerari] Vet. ed. *ut ipse habebat*. Col. *ut ipse aiebat*, minime assentior. Vulgatam cur mutemus causæ profecto non est, facit Sueton. Galba cap. XII. *Cano autem Choraulæ mire placenti denarios quinque donasse prolatos manu sua è peculiaribus loculis suis*.

P.151.v.1. *Et in illis adibus fidelissimorum mortuorum*] lego, *sedibus*.

v.10.

v.10. *Sese cella cohiberet*] Illud, *cella*, glossema puto.

Strepitu scilicet diuinitus] f. *diuagantes*.

Nec secus canes etiam] secius, lego. vt & post paullo, vbi est, *nec secus alius, secius* præferam.

P.152.v.16. *Vtero bestia resecto*] Illud, *bestia*, vt glossema iugulo.

P.153.v.4. *Sitim lenio*] Vet. edit. *leuitio*. Vide notas ad lib. VIII.

v.5. *Anxii atque soliciti remeant*] Ora libri, quo vsus Steubechius, vt ipse testatur, habet, *remeneant*. Ille facit, *reueniant*. Mihi nequaquam fit verisimile. Lego, *remanant*. Festus, *remanant, repedant*. Ennius lib. I. siue vt alii V. *desunt riuos camposque remanant, vbi alij legunt* repelant, ego feci *repedant*. Pro *desunt* alii legunt, *deserunt*, f. *descendunt cliuos*.

v.8. *Vt matronatus eius indicabat*] Supra lib. 2. in princ. *Aurum in gemmis & in tunicis*, &c. *matronam profecto confitebatur*. Et inde fortasse, *matronatus*, vt ex tam magnifico cultu atque ornatu virginem hanc & matronam inuat, & summatem eius regionis. Tentabam, *Botronatus*. Afrorum verbum. Tertul. de cultu fœminarum: *Nullam de conchylio vestem Esaias increpet, nullas lunulas reprobet, nullum botronatum retundat.* Cyprianus de habitu virginum. *Et reuelabit dominus habitum earum, & auferet dominus gloriam vestis illarum, & ornamenta earum, & crines & cincinnos, & lunulas, discriminalia, & dextralia, & armillas & botronatum, & specula*, & quæ sequuntur. Verbum rarum loco corrumpendo fuit, sed quæ tamen in veterum scriptis religiose obseruanda sunt, nec ideo temere migranda, quia ab vsu & sermone nostro remota. præsertim cum in Apuleio nulla verba nisi antiqua, & à bonis auctoribus, qui ei nunc

non exſtant deſumpta: ſed quibus tamen pro moribus huius ſeculi non omnibus licet vti.

P.155 v.13. *Damniſque cæteris anxiatum*] V.L. *vel exatum*. Vnde Lipſius, *delaſſatum*. alij aliter.

P.156. v.17. *Iam faxo huius etiam ipſius illicita formoſitatis pœniteat*] *Illicia*, diuinat Colu. & ait ſic etiam placuiſſe Lipſio. Ego confirmem exemplo Cypriani ſermone de zelo & liuore: *Offert oculis formas illices, & faciles voluptates, vt viſu deſtruat caſtitatem.*

v.30. *Pulchritudinem contumacem reuerenter vindica*] Quid ſi, *ſeueriter vindica*? vt ſupra lib.11. *Extremum facinus in nefariam ſceleſtamque iſtam feminam ſeueriter vindicate.* Et lib.3. *de eo crimine, quod etiam in veſtrum ciuem ſeueriter vindicaretis.* Cicer. *Act.*11. in Verrem, *Si quid vindicatum ſeuere eſt.* Diuus Pius lib.2. D. de his qui ſunt ſui vel alieni iuris: *ſciet me aamiſſum ſeuerius executurum ſeueriſſime animaduertere*, habes in L. vlt. D. de off. præſ. & apud noſtrum ſupra lib.1. *vt in eam die altera ſeueriſſime ſaxorum iaculationibus vindicaretur.* Symmach. lib.9. epiſt.128. *facinus cunctis ad hunc vſque diem ſeculis ſeueriſſime vindicatum competenter vlciſci.*

P.158. v.31. *Deſlentem*] *degentem* Colu vel *flentem*. vtrique nonne præſtet, *defientem*? id eſt, *deficientem*, vt infra lib.10. *infit*, id eſt, non fit.

AD L. APVLEII METAMORPHOSEON LIB. V.

P.159. v.16. *Et ebore curioſe cauata*] f. *cælata*.

v.20. *Tantum efferauit argentum*] Malô, *effigiauit*.

v.22. *In varia picturæ genera diſcriminantur*] forte legendum, *emblemate*, vel, *emblematis*.

v.32.

v.32. *Et paulo fidentior intra limen sese facit*] *sese agit*, Col. vt apud Comicos passim, *quo te agis?* Tamen à vulgata non recedo, nisi placeat, *intra limen se facessit*.

P.160.v.6. *Visoque statim proximo semirotundo, suggestum propter, instrumentum cœnatorium rata*] Illustrat hunc locum Belgicæ lumen Lipsius cent. 1. epist.65. ad Bonauent. Vulcanium. Legit autem & distinguit hoc modo: *visoque statim proximo semirotundo suggesto propter, instrumentũ cœnatorium rata*, Quibus verbis sigma significari vult, quod erat nõ Biclinij, vt ipse aliquando (quod fatetur, sed falso putauit li.3. antiq. lectio.) non etiam diæta aut cænatio tota, vt Cælius, non mensa ipsa, vt Brodæus (pro quo tamen stat acriter Ioannes Sanaro ad Sidon. Apoll. lib.2.ep.2.) sed erat ex mente Lipsii certa in cænatione pars seorsum erecta & exstructa ad recipiendum lectum, idque Hemicycli aut lunata forma, quà littera illa Græca passim in lapidibus & priscis libris. suggestum, inquit, quoddam ligneum, siue qua meliore materia semirotundum, in quo perpetuus vnus lectus, ad sex septem conuiuas recipiendos. Quod velut dimidiatum triclinium repertum inferiore æuo, ad facilem & magis aptum vsum. Hæc Lips. quem fusius hac de re vide epistola quam dixi.

v.40. *Ceterum mihi quidem*] pro ceteroquin, id est, alioquin.

P.161.v.12. *Desinis cruciatus*] f. *eiulatus*. Dictum vt Horat. *Desine querelarum*. Sed cum accusandi casu noster lib.3. *scelus desinere*. lib.4. *fugam & fletum desinere*, vt Cicero lib.7. epist.1. ad Marium, *artem desinere*.

v.31. *Vi ac potestate veneris vsurus*] scribendum

putem *victus*, vel potius, *vrsus*, ab vrgeo. Sed οὐκ εἰδὼς ἀλλὰ εἰκάζων id dico.

P.162.v.11. *Locumque seruientium*] forte, *vocumque ser.* Supra huius libri principio: *Nos quarum voces accipis tuæ famulæ sedulo tibi præministrabimus.* Et *solas voces famulas habebat.* Et sic edidit Ioan. à Woulberen vir accuratissime doctus atque eruditus.

v.17. *Quis illarum rerum cælestium dominus*] Abest à quibusdam priscæ edit. vox, *rerum.* Rectius fortasse reponas *ædium*, vel *opum*, nisi vehementer iudicans fallor.

v.31. *Maritis aduenis ancillæ deditæ*] Non possum quin elegantem adscribam Diui Augustini locum Confessio. lib. IX. cap. IX. vbi mater eius alias matronas admonere solet, *Ex quo illas tabulas, quæ matrimoniales vocantur, recitari audissent, tanquam instrumenta, quibus ancillæ factæ essent, deputare debere, proinde memores conditionis superbire aduersus dominos non oportere.*

P.165.v.13. *At illa incontata statim*] Col. *incontanter*, ego vulgatam retineo. vt apud Petronium, *indelectatus. At ille non indelectatus nequitia mea.*

v.16. *Vultu læto tegentes*] Alii, *testantes*, vnde Steubechius, *tectantes*,

P.166.v.34. *Certe piè sorores*] f. *piæ.*

P.167.v.23. *Cubile solidum conscenderit*] Quidam *concederit*, vnde fortasse non male, *concesserit.*

v.24. *Altum soporem descenderat*] Colu. legit, *altum in soporem*, mihi vulgata non displicet.

P.168.v.30. *Arcus & pharetra, & sagitta, magni Dei præpitia tela*] Notat ex Alpheno Agellius lib. 6. cap. 5. noct. Attic. veteres *novum nountium*, & *pro-*

prium

prium propitium dixisse. Ita hic acceperim ego, sed cum Poeta nescio quo *Magis audiendum, quam auscultandum censeo.*

v.31. *Interim dum Psyche*] *Interdum* Coluius, ego vulgatam retineo, vt, *primumdum*, & similia.

P.172.v.10. *Sed male prima pueritia instructus es*] Coluius, *imbutus es.* in quibusdam, *inductus es* quod retineo ex Iurisconsultis & Ammiano.

v.16. *Puellas propinare consueuisti*] lego, cum Ro. ed. *consuesti.*

v.17. *Sed nunc irrisui habita*] al. *in risu habita.* forte, *insuper habita.* vt supra lib.1. *hic est qui mei amoribus insuperhabitis.* vt habent vett. lib. rectius quam editi, *subterhabitis. Insuperhabere* eleganter pro negligere ac contemnere. Adeundus M. Ant. Muretus lib. XI. var. cap. XVII. post Iacobum Cuiacium & Iacobum Rænardum Iurisc. hunc Belgicæ Papinianum alterum, illum Galliæ.

P.173.v.1. *Quod autem oramus, isti crimen*] *Istic*, fort.

v.31. *Sed eam protinus Ceres & Iuno comitantur*] *continuntur*, legi in quodam Fuluii Vrsini manuscr. & in alio *continuant*, testatur doctissimus Casper Scioppius notis ad Symmach. lib.1. epist.53. vbi idem legit cum Franc. Modio, *nisi forte in syluis Apollinem continuaris.* Sic noster supra lib.1. *Inde me commodum egredientem continuatur Pythias*, id est, offendit me, occurrit mihi, vt lib.6. *continuaueris* (aut vt Scoppius legit, *continuaberis*, siue vt in Bertiniano, *continuabis*, quod æque bonum) *Claudum asinum*, &c. Sic apud eundem Symmachum lib.4. Epist.44. legendum iam diu monuit idem Modius: *Nam me in syluis Lau-*

rentibus continuatus est rurali quieti inhærentem. Nonius ex Sisenna: *continuari, conuenire, concurrere.*

AD L. APVLEII METAMORPHOSEON LIB. VI.

P.173.v.24. *Animo tanto cupidior*] f. *nimio tanto.*

P.174.v.31. *Detersis ante lacrymis*] Nam lacrymantes nefas ad sacra accedere. Tertullian. Apologet. cap 9.

v.40. *Neque in tantis exantlatis laboribus defessum*] Sic dictum, inquit Colu. vt supra lib.2. *senex grauis in annis*, & *vinum in ætate pretiosum*, & lib.3. *Tantulo triennio maior in ætate.* fortasse & ita apud Vlpian. lib.3. D. de Sc. Syllaniano: *Si quis in graui valetudine adfectus.*

P.175.v.6. *Legibus quæ seruos alienos profugos*] vide L.1. & tot. tit. D. *de seruis fugitiuis.*

v.13. *Quo rursum itaque*] *quorsum*, Mercerus, forte rectius legatur, *quoversum*, vel *quouorsum*, veteri voce. Iudicium penes doctiores esto.

P.176.v.8. *Domum secessit*] Melius multo, *facessit*, quod & Scioppio probatum.

P.177.v.30. *Et flagrans balsama venus*] *flagrans*, legendum, supra lib.2. *cinnama fragrans, & balsama rorans.*

P.178.v.13. *Sed dum meridies solis sedauerit vaporem*] melius me iudice: *Sed dum meridii solis sedauerit vapor.*

P.179.v.7. *Et quid facis?* vide, & quid agas caue] σύστοιχον est. Hinc istud Terentii Eunucho: *vide quid agas*, vbi Donatus admonet, id dici solere magna aggredientibus.

v.28.*Et*

v.28. *Et vt abiret innoxius præmonentes*] lego, *præminantes*, sic infra p. *nec alium locorum inquilinum præminabantur* Isidorus: *minator est monitor, sed monitor dicitur, cum prænunciat bona, minator cum prænuntiat aduersa.*

P.180. vers.8. *Pergit quampiam turrim*] Malo cum Bas. edit. *Pergit ad quampiam.*

P.181. v.34. *Mente capitur temeraria curiositate*] Quid si, *inante.*

P.182. v.41. *Et virginitate priuauit, teneat, possideat*] videtur interserenda vox *habeat*, vt sit, *habeat, teneat, possideat.* Ex formula Iurisconsultis vsitata, *habes, tenes, possides.* Secundum quam & Plinius lib.1. epistola 16. *Amo*, inquit, *Pompeium Saturninum*, &c. *nunc verò totum me tenet, habet, possidetque.*

P.183. v.20. *Ad fistulam diceret*] legendum censeo, *hisceret*, vel *hiaret.* Cõfirmat Propert. li.3. eleg.2.

Tantum operis neruis hiscere posse meis.

Et Eleg.15. ad Bacchum:

Mollia Dircææ pulsabunt tympana Thebæ,
Capripedes Calamo Panes hiante canent,

& de Apolline cum cythara ad viuum depicto lib.2. Eleg. 21.

Hic equidem Phœbo visus mihi pulchrior ipso
Marmoreus tacita carmen hiare lyra.

Reponit hoc ipsum verbum Ianus Gulielmus apud Martialem lib.5. eleg.57. vbi vulgo,

fac discat cytharœdus aut choraules

emendat ille, *fac hiscat*, lib.3. verisi. c.19.

Pag.184. v.13. *Quid stas Luci?*] vet. edit. *quid istas Luci?* Ex quo Colvius, *quid instas Luci?* quod tamen nec illi placuit. Magis fortasse, *quid restas Luci?* Plautus Mostellar. *viden vt restat furcifer?*

P.185.v.1. *Ac me deducere*] f. *reducere.*

Dependentem directe aniculam] f. *dierecta.* Sed *Dircen* præsertim, vt iam diu è manusc. legend. docuit Scioppius.

P.187.v.4. *Vt sola facie prominente*] Refert Valer. Maximus lib.9.cap.11. in fine *Barbaros mactatarum pecudū intestinis & visceribus egestis homines inserere, ita vt capitibus tantummodo emineant, atque vt diutius pœna sufficiant, cibo & potione infelicem spiritum prorogare, donec intus putrefacti laniatui sint animalibus, quæ tabidis corporibus innasci solent.*

AD L. APVLEII METAMORPHOSEON LIB. VII.

Pag 190.v.18. *Spretis atq; contemptis vrbicæ luxuriæ delitiis*] *spretis*, glossematium à Beroaldo est, nam in eius exemplari legitur, *sumptis*. f. *summotis.*

v.41. *Plenam vindictam impetrauit*] Supra lib.4. *vindictam tuæ parenti, sed plenam tribue.* vt apud Plinium lib.10.epist.66. *Et plenam ei humanitatem tuam præstes*, &c.

P.191.v.1. *Et confestim interiit*] vectus lectio Beroaldi, *interibit*, verior, nisi fallor, *interiuit.*

v.4. *Me furatus*] velim iterum, *furatim*, vel *furatò.*

P.192.v.38. *Commeabat assidue*] *commetabat*, repono ex Nonio.

P.194.v 2. *Prolixe quæritabat*] Colu. *prolixe quam curabat.* Aliæ editiones habent, *qui cursitabat*, & *curritabat.* Venet. *curritabat.* Vnde emendandum iudico, *curitabat*, vt sit, quemadmodum loquuntur Grammaticorum παῖδες, *frequentatiuum.*

P.196

P. 196. v. 41. *Ignem vltroneum accessisse*] Quin potius, *accessisse.*

P. 197. v. 20. *Et festiuus hic amasio*] Prudentius περὶ στεφάνων,

Nubunt puellæ, sæpe luditur dolis,
Amasionum comprimuntur fraudibus.


v. 21. *Incoram omnium gestiebat inscendere*] Sic recte Coluius vt lib. *9. atque incoram omnium aureum depromeret cantharum.* Geminarunt veteres interdum præpositiones, etiam Iurisconsulti; quorum exempla accumulantur à Iacobo Rænardo lib. 3. vario. cap. 3.

P. 198. v. 21. *Contra montis suetum ducit vestigium*] *fastigium* lego. Supra hoc lib. 7. *Nec me montis excelsi tantum arduum fatigabat iugum.*

v. 34. *Baculo, quem gerebat, obuerberans*] V. lectio Beroaldi *obumbrans.*

P. 199. v. 22. *Seræ vindictæ gratulabar*] MS. *feræ.* vnde fortassis, *ferinæ.*

AD L. APVLEII METAMORPHOSEON LIB. VIII.



Pag. 202. v. 1. *Profundam Romam Cupidinis*] Sic MS. & Rom. & Bas. 1. in cuius margine adscriptum, *forte, rotam Cupid.* Lipsius in epist. quæst. legebat, *ærumnam Cupidinis.* Ego, *roinam*, siue *ruinam*, quomodo & *yuo villiomarus* (siue is *Ios. Scaliger est*) aduersus Rob. Titium, qui *rimam*, supponere sed inepte conabatur, lib. 9. locor. controu. cap. 17.

v. 12. *Contentiosa pernicie*] Scripserim, *peruicacia,* vel *pernicie* à peruico. Sed non vrgeo peruicaciter.

P. 203. v. 6. *Dente compulso*] f. *dente comploso.*

P. 205.

P.205.v.21. *Aures obseratas de nuptiis obtundens aderat*] f. *adorat*.

P.206.v.6. *Quae claustris adhaerens*] MS. *clastris*. vnde Colu. *clatris*. Mihi in mentem venit *clostris*. veteres *clostrum*, & *claustrum* dixere, Seneca VII. de benef. c. 21. *vt plostrum & plaustrum, losum & lausum*. Glossae κλεῖθρον *claustrum, clostrum*. Petronio Arbitro *clostellum*.

v.8. *Placuit Thrasyllo scena feralium nuptiarum*] MS. *strena*. Plaut. Sticho: *Bona scaeua strenaque obuiam accessit mihi*.

P.207.v.2. *Vltrices habebis pronubas*] MS. *per vias*. fortasse *praeuias*, quia addit *orbitatem comitem*.

v.20. *Nudatus totus aedibus*] lego, *viduatis*.

Munita sepultura] Lips. *vnita*. Meo quidem animo non inepte legas, *munita*, vt saepe supra. Vide lib. 6.

v.30. *Inedia statuit elidere sua sententia damnatum spiritum*] apud Petron. *Quid proderit hoc tibi si soluta inedia fueris? si te viuam sepelieris? si antequam fata poscant, indemnatum spiritum effuderis?*

v.31. *Hic ille longo trahens spiritu*] Scriptus Cod. *hoc ille longos trahens spiritus*. forte *suspiritus*. Vt supra lib. 1. *cum ille imo de pectore cruciabilem suspiritum ducens*.

P.208.v.33. *Dum altum adusque caelum*] suspicari libet, *dum in altum*.

v.34. *Fugere comparant*] Malo *fuga se comparant*. sic inf. p. 137. *vlteriori se fuga proripiunt*.

v.39. *Sed nequidquam frustra*] *frustra*, glossema esse & alienam hominis nugatoris vocis, *nequidquam*, interpretationem quis omnium vel exigue harum literarum peritus non videt?

V.41.

v.41.*Timorem illum satis inanem*] MS. *inciuem.* Nescio si quid ad rem pertineat, quod infra legitur *inuicem certe religionis mentita.*

P.209.v.13.*Diuque grassati.*] MS.*denique crassati.* forte, *diq, grassati*, per tmesin, id est; *digrassati* Plautus Trinummo *Nam absque foret te, sat sero in alto distraxissent, disquetulissent satellites tui me miserum fœde*, pro, distulissent, dissipassent.

v.17. *Quosdam iacentes inscindere*] Colu.*inscendere.* Ego vulgatam non sollicitauerim, quod videam nimium quam familiare huic nostro esse verbis & nominibus, vt paulo ante monuimus, τὸ *in* iungere.

Per omnem nostrum commeatum] legerim *comitatum.* Sed & *stipato commeatu*, mox dixit. forte vt *commeatus* illos significet, qui complures iunctim iter faciunt, qua de voce vide, si videtur, quæ notabat Ph. Rubenius ὁ μακαρίτης lib. altero Elector. cap. 3.

v.29.*Quas predus munitis*] In manus.*minuitis*, minus recte, vt ait Colu. Rescribendum autumo, *innubtis*, id est, inuaditis. Lucilius lib.6. apud Non. *Suam enim inuadere atque innubere censent.* Corrigo, *sua mœnia inuadere.*

P.210 v.17.*Sciscitari gestiunt*]MS.*sciscitatus.*Bas.1. *sciscitati.* Lego, *sciscitatu iri.* Vt passim apud Iurisc. in Pandectis Florentinis *defensu iri, debitu iri, redditu iri, datu iri, restitutu iri*, pro eo quod in vsu elegantium virorum est, *defensum, debitum, redditum, datum, restitutum iri.* Adi Ant. Augustin. lib. 2. emendat. cap. 2.

v.17.*Fruticibus imis*] V. C. *fructicibus*, sic semper in manus. reperitur.

v.23. *Decepto seni subsistite*] Beroald. *decrepito sen i. Non negabis versus esse*, defecto, vt inf. *defectam valetudi. em.* lib.1. *defectum iam in certa verborum salebra balbutire.* lib.4. *& vie spatio defectus.* lib.6. *defectum prorsus assiduis laboribus spes incitabat & votum* & sæpè alibi apud Petron. quoque *lucerna humore defecta.*

v.26. *Dum forte passerem incantantem sepicula*] manuscrip. *passerem incantarem*, fortassean, *incantacem.*

P.211.v.15. *Vbi ceptum facinus*] Editio. veteres, *mihi ceptum fac.* Colu. *mihi compertum facinus.* Colu. *vbi spectum fac.* forte intelligendum, ceptum, id est perceptum, cognitum, intellectum, vel acceptum. vt, *accepto tali sermone*, paullo infra. & supra lib.1. in princ. *Quis ille, paucis accipe.* &, *isto accepto.* Virgil. lib.2. *Accipe nunc Danaum insidias.*

v.16. *Narrare cupido*] vulgo, *cupio.* Ausim legere, *cupitio.* vt sup. lib.4. *sitim leustio.*

v.24. *Laqueum sibi nectit*] volebam, *plectit.* Sed hoc ipso lib. extr. *mortem sibi nexu laquei comparabat.*

v.35. *Penitus inhærentes*] Quid si, *inarantes*?

v.36. *Visceribus adesis*] Membranæ, *abesis.* Quid si, *ambesis.* Sed *obesis* præoptareme fateor. vide Agellium lib.19. cap.7.

v.40. *In summo luctu*] Mihi certissime reponendum videtur, *in summo lucu*, eadem ratione, qua *primo lucu*, apud Plautum, Terentium, alios.

P.212.v.5. *Quo vendi cariores videremur*] al. *vendibiliores.* forte, *venditariores*, à venditario, quo vsus Plaut. Stycho, Ac.11. Sc.1. v.103. *Præterque linguam vnam etiam venditariam*, quæ vendere cupit. Super

quo

quo Plauti loco, cum forte inspicerem postea Commẽtarium Friderici Taubmanni, magnæ mihi voluptati fuit eius iudicio intelligere hanc ipsam lectionẽ multo placuisse ante *M. Schickvadio*, in Epistola Critica ad Apuleium, itaque nos hic quidem congruere.

v. 11. *Manum cuiusdam fœtore sordentem*] Manus. *fectore in.* forte, *fœtore nimio*; vel, *foetore insordentem*, vt de vocula *in* supra noto.

v.18. *Et colore deformem*] *dolore def.*

v.22. *Sed illa fortuna mea sauissima*] *Scauissima*, puto.

v.37. *Si ciuem Romanum*] Manus. *sed ciuem*. Scriptum fuit *sei*, inde, *set*.

P. 213. v. 4. *Mediis eius feminibus*] Manus. *feminis*, recte, media feminis, τὰ μέζεα, quamquam lib. 10. *titione candenti inter media femina detruso*.

v. 9. *Et sanctus Sabadius*] Colu. *Sabazius*, è Suida. meminit & Cicero 2. de legib.

v. 24. *seruum vobis en ecce pulcellũ mercatus, perduxi*] al. *mercato*, lego, *mercatu perduxi*. Setenus opusc. *Ad mercatum eo villice, ecquid vis inde vehi, aut agi?* apud Non.

P. 214. v. 11. *Incitante tibia cantu lymphaticum tripudium*] Sic recte Colu. cum alias esset, *incitantes*. Iuuat Iuuenal. Sat. 6.

Nota bona secreta Dea, cum tibia lumbos
Incitat.

Et Persius

—cum carmina lumbum Intrant.

v. 15. *Diuque capite demisso*] manusc. *dimisso*. forte, *dique capite misso*, vt supra, *dique grassati*, per figuram Tmesim, cuius alia exempla apud Apuleium occur-

runt. Et insigne vnum in mentem venit, quod apud Vlpianum Iurisconsultum legitur l.12.§.*si mulier*.D. *de iure dot.* *siquidem circum in hoc venta*, pro, in hoc circumuenta. Arnob.lib.7. aduers.gen. *verum bellicas res amat, interq; esse desiderat pugnis.*

vers.25.*Semetipsum incessere atque criminari*] libri membranacei *incensere.* idque germanum pro censere, notare quasi censoria nota.

v.30. Et *multiiugis talis ouium*] Dubius sententiæ sum sitne legendum, *ouinis*, vt infra, *pecuinis*. Manus. huc ducit, in quo legitur, *tuli omnia tesseratum*. al. *talis obuina tesseratum.*

v.37.*Sic illa sanguinem conspiceret asininum*] Beroaldus *concupisceret.* Auet animus legere, *consitiret.*

P.215.v.21.*Sed inopportuno plane tempore*]MS.*si importuno.* error idem qui supra, *set*, inde pro *sei* acceptum, & hinc, *si*.

v.28.*vicinos vndique partientes*]Lipsius in Epistolicis quæstio. eleganter, *arcientes*. MS *parcientes* vnde coniectabam, *percientes*. quod & Scioppius è manus. laudat.

vers.36.*Cunctis strumentis me renudatum*]vulgo, *stramentis*, quam lectionem cum Coluio retinendam potius, quam temere reijciendam existimo, στρώματα Græcè.

P.216.v.5.*Plenis gladiis minantes*] vulgo, *planis glad.* forte id intelligendum est, vt nos dicimus, *metten platten slaen.*

v.20.*Et vtcunque metuens*]*vltraque*, MS. legerim, *vltra quàm.*

AD L.

AD L. APVLEII METAMOR-PHOSEON LIB. IX.

P.217.v.22. *Hic astulo commento*] MS. *hoc astulo.* Coluius, *hoc astutulo*, vel, *astuto*. Corrigebam, *hoc catulo. Cata dicta* acuta dicta apud Varron. VI. de ling. lat. Sed placet Coluii coniectura, mox hoc lib. *mulier callida & ad huiusmodi flagitia perastutula.*

P.218.v.1. *Quae res omnium statim percussit animos*] Ter. And. *Percussit illico animum.*

Mobili ac trepida facie] MS. *nobili*, forte *nubili*.

v.18. *At hunctine miserum istum asinum*] MS. *Ad hunccine.* Vnde Coluius, *adhuccine*, bene.

P.219.v.6. *Fabriles operas praebendo*] *praebendens.* Manus. lego *prabibens*. Plaut. Mercat. in fine: *Si quis prohibuerit, plus perdet polam, quam si prahibuerit palam.*

P.220. v.12. *Bellissimus ille pusio*] *vilissimus* MS. Num *vinulissimus*? quærit Coluius, vulgata recta est. Plautus ead. fab. *Illam esse amicam tuam viri bellissimi.*

v.22. *Sorte vnica casulis pluribus enotata*] Coluius, *sorte vnica pro casibus pluribus enotata.* Notat tamen Beroaldus in quibusdam esse, *capsulis* quod fortasse nec contemnendum. Cicero 2. de diuinat. *In eo loco, vbi nunc fortunae sita est aedes, mel ex olea fluxisse dicunt, aruspicesque dixisse, summa nobilitate illas sortes futuras, eorumque iussu ex illa olea arcam esse factam, eaque conditas sortes, quae hodie fortunae monitu tolluntur.*

v.35. *Additā victoriam forti praesagio*] *addictā sortis*

præsagio, recte emendabat Steubechius, vt & paullo post, pro *noxios religionis antistites* legit idem, *innoxios*.

Pag.221. v.24. *His & aliis similibus affaniis frustra blatteratis*] Ita hunc locum se emendasse Colvius ait veteris scripturæ ductum secutus, quæ erat: *His & alius similibus affaniis frustra ablateratis*, al. *ablatratis*. vnde coniectem legendum, *oblateratis*. Aurel. Prudentius περὶ στεφάνων

——*cum verbis carens*

Nil in Deorum oblacteraret dedecus.

c literam adhibens, vel quia sic legi quidam volunt, vel fortasse metri causa.

P.222.v.21. *Et refectione virium vehementer indigus*] Manusc. *indignus*, & ita aliquot vulgati. Reformo leuiter, *indiguus*.

v.39. *Pectora copula spartea tritura continua exulcerati*] *tectura* MS. vnde forte *tertura*, vt *termentum* apud Plaut. Bacchid, pro eo quod nunc dicitur *detrimentum*, teste Festo.

P.223.v.3. *Ad vltima salutis iam detrux*] hanc dictionem Colvius putat nouam esse, & hic reponendam. Ego autem scio manuscriptum eius loco *s.* habere frequenter *x.* vt supra, *laxiuientes*, & lib.1.pro *esurientem mei*, *exurientem me*. Iterum lib.8.pro *esurientem*, *exurientẽ*, & lib.10. pro, *esurienter*, *exurienter*, hoc & hic accidisse puto, vt *detruxus*, scriptum fuerit.

v.22. *Saua, viriosa, ebria*] Manusc. *iniuriosa*, forte, *inuirosa*.

v.30. *Nam & antelucio recubans adhuc*] *recubans & adhuc*, MS. mihi probatur *exadhuc*.

P.224.v.1.*Et adulterorum internuncia*] forte *adulteriorum*.

verſ.14. *Tuos volentes amplexus*] *volentis* lib. Beroaldi.

v.37. *Et famem comminatus*] MS. *defamem*, forte *defamem*, id eſt, infamem, aut verius, *defame*, mortem omnium miſerrimam.

v.39. *Per omnia diuina numina*] Poſtrema vox mihi quidem purum putum gloſſema.

v.40. *Summo pauore perculſum*] *percuſum* MS. vnde Colulus *percuſſum*. Corrigo, *perfuſum*, vt lib. 1. *inſperato gaudio perfuſus*, & *non ſanguine ſed lotio perfuſus*, & lib. 2. *rubore ſuffuſus*, vt Petron. *perfuſus rubore*.

P.226.v.2. *Et magnis ſuis laboribus*] lego, *exmagnis*.

v.3. *Lætitia percitus*] Membranæ, *lætitiam paratus*, al. *paracitus*. Legebam, *lætitia mancipatus*, ſed amplius deliberandum cenſeo.

v.23. *Quo iam pro limine liberato*] MS. *qui iam pro limine*. Puto γνήσιον auctoris eſſe, *Qui iam prolumine vibrato*, vt *prolumen* ſit lucifer.

Forum verſus detrahi] Scriptura vetus *ſo*. Tentabam, *forinſecus*, vt infra, *forinſecus abijcit*.

v.29. *Puer admodum & adhuc*] forte, vt ſupra, *exadhuc*.

v.30. *Adhuc adulteros ipſe delectans*] MS. *& adhuc*, & hic ita forte bene.

v.32. *Primum antecurſoriam potionem*] vulgati vett. *accurſoriam*. Manuſc. *poſt occurſoriam potionem*. forte vt *occurſoria potio* ſit, quæ ab occurrentibus & excipientibus præbebatur vt *aduentoria cœna* apud

Martialem. Coluius tamen vulgatam explicat.

v.35. *Crurum eius fragium*] f. *crurum ei fragium*, per Tmesim, de qua supra.

P.228.v.11. *Quæ semper secundo rumore gloriosa*] *visore* MS. sed *rumore*, germanissimum arbitror. Virgil. 8. Æneid. *Ergo iter inceptum celerant rumore secundo.* Horat. lib. 1. Sat. 10. *Quæ vos ad cœlum effertis rumore secundo.* Sueuius poeta vetus apud Macrobiũ lib. 6. *Redeunt referuntque petita rumore secundo.* & alia exempla apud Nonium. Econtra *aduerso rumore* dixit Sueton. in Tito Vespasiano cap. 6.

v.14. *Furtiuos amplexus*] Prisca scriptura, *furtunatos, ampl.* facio ego, *furtiuatos*, vel *furatriuos*.

P.230.v.7. *Alterorsus disclusa*] MS. *discola*. al. *discussa*. legerim *disclosa*, à *clodo*.

P.232.v.7. *Continuo discrutiabar frigore*] vet. edit, addita copula, *& continuo*, non male scripseris, *excontinuo*.

v.32. *velut ouum parere gestiens personabat*] MS. *iperabat*, lego, *pipilabat*, aut *pipabat*.

P.233.v.9. *vt igni copiose subdito*] nec male MS. *subito*, à subeundo.

v.41. *Parui sependere tot mediatorum præsentiam*] MS. *meditatum*. al. *meditatorum*. Quid si, *metatorum?* vel, *metitorum*, id est, mensorum. Vlpian. lib. 8. D. finium regund. *Ad officium de finibus cognoscentis pertinet mensores mittere, & per eos dirimere ipsam finium quæstionem.* Vide & l. 3. C. eod. tit. Et Tertullian. lib. 1. aduersus Marcionem.

P.234.v.11. *Denique vicinum illum auriculis per suos seruos sublatum*] Manuscrip. *auinculis*. Nihili lectio, puto scrib. *maniculis*, à manica vinculo. Plaut.

Captiu.

Captiui. *Inÿcite huic actutum manicas.* Et Mostel. Ac. 5. Sc. 1. *manicas celeriter connectite.*

verſ. 2. *Statimque proiectum iri*] Scribo, *ſtratumque.*

verſ. 19. *Nec fugientibus ſaltem compeſcunt*] Colvius accipit pro *compercunt* ἀρχαϊκῶς. ſ. pro r. Ego acceperim τὸ *compeſcunt* παθητικῶς, id eſt, compeſcuntur, aut ſuſtinent, & *fugientibus*, abſolute.

Pag. 236. v. 30. *Prauentus vulneribus*] forte *cruentus.*

P. 237. v. 1. *Nutabundus tamen*] MS. *mirabundus*, facio *mærebundus.*

Hortulanus deorſus in ipſa tabernacula direxit in quamdam ciſtulam] Scipio Gentilis doctiſſimo commentario ſuo in huius auctoris Apologiam, hunc locum ſic legebat: *Hortulanus detorſus in ipſam tabernam clam direpſit*, &c.

AD L. APVLEII METAMORPHOSEON LIB. X.

Pag. 238. verſ. 30. *Atque ob id conſequenter pietate modeſtiaque præcipuum*] Manuſcrip. *ſequenter pietate & modeſtia*, legendum contenderim, *pietate ex modeſta.*

v. 39. *Quamdiu primis elementis Cupido*] *alimentis*, Colu. Ego *elementis*, retineam, vt mox, *ne de paruis indignationis elementis.*

verſ. 40. *Facile ruborem tenuem deprimens*] Manuſcrip. *facili ruborem tenuem deprimens ſilentio*, ego lego, *infacili.*

P.239.v.3. *Vulnus animi mentitur in corporis valetudine*] *corporis inualetudine*, legebat Steubechius. vulgatam Tmesis figura tueri potest, vt iam ante aliquoties.

vers.37. *Nam quod nemo nouit, pane non fit*] MS. *Namque nemo nouit, pane non infit*] vnde fortasse *pane infit*, id est, non fit, aut *nævum fit*.

P.240.v.11. *Modo istud, modo illud causa faciens*] forte *causificans*, vt infra, *atque inconcinne causificantes*.

v.14. *Nefarium amorem ad longe deterius transtulisset odium*] Solent libidinosæ mulieres, quorum amores ipsæ vltro appetiuerunt, si ab iis contemni ac repudiari se videant, illico illos calumniari, & pessimis habere modis. Exempla aliqua commemorat M.Ant.Muret.var.lect.lib.1.cap.12.

Et in pace placida] *placita* manus. *Placida pax*, Virgilio 1. & 8. Æneid. *placidissima* Ciceroni Tuscul.5.

Rursum praconis vocatu] Manus. *pr.precatu*. forte, *procalatu*. Festus, *procalato, prouocato*. Et, *Calatores dicebantur* ἀπὸ τοῦ καλεῖν *quod est vocare, quia semper vocari possent, ob necessitatem seruitutis. Praconis boatu* dixit supra lib.3. vide & Macrob. Satur. lib.1. capite 15. *Rauci voce praconis*, Sidon Apol. lib.1. Epistola 3.

P.241.v.34. *Tunc demum clamatus*] f. *calatus*.

Inducitur etiam reus] *Nec enim reus prohibendus, quo minus cuncta proferat, quibus innocentia eius subleuari possit*, vt est apud Corneil. Tac.2. Annal.

v.36. *Neque principia dicere, neque miserationem commouere*] quod apud Areopagitas vetitum quoque fuisse testatur Iulius Pollux lib.8.

P.242.

P.242.v.3. *Nec suspicionibus tantum coniecturam permitti placuit*] quippe *indignum facinus esse, sine testibus coniecturam & suspicionem firmamenti satis habere*, scribit auctor ad Heren.lib.2.

v.6. *Vel fortuna tam magni iudicii*] forte *vel forma*, M.Tul. pro Milone: *noui iudicii noua forma terret oculos*. Ipse iudicis & fori conspectus quandam maiestatem præ se fert, vt non eodem modo rei illum ferant, quo alium locum & consessum, quod iudicat idem M. Tul. orat. pro Cœlio. Vulgatam tamen lectionem non damno. Quinctil. decla. 371. *Atenim dubia est iudicij fortuna, sed nobis non timenda.*

v.7. *Vel conferta conspectu curia*] MS. *velle conferre.* vnde faciebam, *vel e conferta.* vt supra, *e deformis.*

Aliquod moliri flagitium] Manusc. *muniri*, lego *iniri*.

Pag.243.v.33. *Verens ne si daturum me negassem*] vetus lectio, *veteres*, verior, *veritus*, meo quidem animo.

P.244.v.4. *Morte preuentus est*] Magis placeat legi, *præuersus est*.

v.20. *famosa atque fabulosa fortuna*] *fauosa* Cod. scr. forte *fauosa & fellosa*, aptum fortunæ elogium, quæ cum nimia mellis dulcedine diutinam fellis amaritudinem commiscere amat.

Esurienter exhibitas] Manusc. *exurienter*.

Mulso & multo contempera] lego, *ex multo*.

P.247.v.25. *Quinquennali magistratui fuerat destinatus*] Intelligit Ædiles quinquennales.

P.248.v.16. *Depacta est*] MS. *deprecata est*. *depecta est*, Colvius, *depresiata*, legendum iudico. Vide notata ad Apol.1.

v.35. *Non qualia in lupanari solent*] scriptus codex *lupanaria*. Non displicebat mihi *lupanario*.

P.249.v.4. *Et vnguento fragrantissimo*] Mirrhino. Sutrius, *Mirrhinum mihi adfer, quo virilibus armis occursem fortiuscula.*

Pag. 249. vers. 38. *Protinus quod esset editum necaretur*] Mandauit hoc ipsum Sostratæ vxori suæ Cremes Terentianus Heautontimor. Lyctis Ouidianus Metamorphosi. Vide super hac re dissertatiunculam Iusti Lipsij cent. 1. Epist. 85.

v.40. *Pietate preuenta*] lego, *praeuersa*.

P.250.v.21. *Annulo mariti surrepto rus profecta*] MS. *reus profecta*, verior lectio, *rus eo profecto*, clarum ex sequentibus.

P.254.v.15. *Cassidis arate*] vulgo *orbatae*. al. *batae*. Ego lego, *subatae*, scriptũ fuerat, *Iobatae* vel potius *orbitae* vt apud Varron. *motus orbitus* apud Non. alii legunt, *obbatae*.

Pag. 255. vers. 15. *Et originalem sententiam*] Quid si, *virginalem*?

P.256.v.1. *Terra vorago decepit*] alii, *decerpit*, forte *decipit*, vel, *depressit*, vel *deperdit*, vel *cæperit*. Nihil tamen horum adfirmo, viderint quibus abunde & ingenii & otii & verborum est.

AD L. APVLEIJ METAMORPHOSEON LIB. XI.

P.257.v.32. *Praeclarisque nunc veneraris delubris Ephesi*] *veneraris*, παθητικῶς.

v.36. *Et nudis ignibus nutriens læta semina*] Beroald. in quibus. lib. legisse ait, *vdis*. pro quo tamen *vuidis*, mavult Io. Isacius Pontanus.

Pagina 258. vers. 10. *Eius mirandam speciem*] Vir clariss.

clarissimus, *qui mirandam*, lego *quam mirandam*.

v.35. *Tergeminos iactus*] f. *ictus*.

v.39. *Palmæ victricis foliis intexta*] supra lib.11. *pedesque palmeis baxeis indutum*. Vidimus & nos eiusmodi soleas ex Chinensibus aduectas apud clarissimum mihiq; amicissimum Abrahamum Ortelium, ob insignem in re Geographica publico bono nauatam operam & industriam nemini paullum modò humaniori ignotum.

P.259.v.14. *Æthiopes, Ariique*] Manus. *omnes*, existimo legendum, *Æthiopes vtrique*. vt supra lib.1. sed non plane asseuero.

vers.15. *Prorsus propriis*] *Prorsus*, abest ab aliis, & iamprimum ex Cod. manus. addidit Coluius, forte scriptum, *propriis propitiis* vt illud alterum sit glossema. Vide notata ad lib.5. si tamen tanti.

vers.22. *Nauigabili iam pelago*] Diem anni quo nauigationem auspicabantur, feriis celebratum à multis, ex hoc loco obseruauit Adr. Turnebus Aduersar. libro 18, capite 24. & lib.24. capite 34. adhibito Vegetio libro 4. capit.39. claudebantur autem maria (teste eod. Vegetio) *ex die tertio Iduum Nouembris vsque in diem sextum Iduum Martiarum*: longe profecto atque hodie aliter: cum sit locus intra Oceanum iam nullus, neque tam longinquus, neque tam reconditus, quo non per hæc tempora nostrorum hominum audacia, & indefessus labor, nulla etiam temporis habita ratione, peruadat. Ita est illis quædam cum discriminibus pelagi non notitia solum, sed familiaritas. In Calendario rustico festum legitur mensis Martii, quod *Isidis nauigium* appellatur, quod innuit APVLEIVS, cum ait, *rudem dedicantes*

carinam, id quot annis muneribus largis onustum ventis ferentibus pelago committi solet.

P. 260. v. 31. *Vocibus cuiusque*] Colu. *omnibus cuiusque*, f. *votitis*, vel etiam, *votiuis*.

Pag. 261. v. 20. *Modulis dulcissimis personabant*] Manusc. *personabata*. Rescribendum, nisi animi fallor, *personitabant*.

P. 261. v. 26. *Fundo quam rotundo*] scribit vt supra ex emendatione mea *fundo vltra quam rot.*

Et huiuscemodi supplicijs] lego, *cuiuscemodi*, vt alibi, hoc ipso lib. *pecua etiam cuiuscemodi*, pro quo vulgo, *huiuscemodi*.

P. 265. v. 34. *Diuinum reducemque ab inferis conspectum*] Quidam, *diutinum*, alii *diurnum*. Manusc. *durinum*. Mihi accuratius sententiam expendenti placet, *rediuiuum*, quam veram esse lectionem cum quouis mortalium pignus ausim dare. Lucem hæc capient ab iis, quæ adfert Ioseph. Scalig. ad fest. actio. *Postliminium*.

P. 266. v. 4. *Visu deæ monituque ieiuna*] Manusc. *ei vna*, fortassean, *vana*, aut *vacua*, vtrum mauis, elige locum non interduim.

v. 7. *Religiosa formidine renitebar*] Manusc. *recreabar*, forte, *refragabar*.

v. 10. *Esse muniendam*] Bas. *veniendam*. Manusc. *metuendam*, lego *moeniendam*, vetuste. Nam veteres pleraque eorum, quæ nos per *u* dicimus, per æ diphthongum pronunciabant. Hinc Virgil. lib. 10.
—— *atque ipsis prælia miscent Aggeribus moerorum*, pro *murorum*, vt ubi notabat Seruius. Plaut. Bacchidibus: *Pergamum diuina moenitum manu*. Apud M. Tull. de leg. b. *coera* pro, *cura*, *oesus*, pro, *vsus*.

v. 21. *Et in euentum prosperiorem attonitus*] forte *attentus*,

attentus, quod & Scioppio placuisse video. Sed & lib.1. *in stuporem attonitus*. Et hoc ipso lib.xi. *in aspectum meum attonitus*, nisi & ibi fortasse rectius, *attentus*, putes vt lib.10. *partim voluptario spectaculo attonita*. Coluius ex Ald. reposuit, *attenta*. Liuius lib.4. Annal. *Qui postquam intentos homines in euentum alieni periculi pro se incautos neglectis vigiliis stationibusque est adortus.*

v.23. *Dum velis candentibus*] vere emendatum Lipsio à fide libri sui scripti, cū vulgo legeretur, *valuis*: quem vide optime hæc explicantem libro 2. elect. cap.18. à quo Coluium sua pleraque hausisse crediderim.

v.32. *Notæ dorsualis agitatione*] vulgo *cognitione*, vnde ex *agitatione*, fecerim, *agnitione*, vt & in Manuscrip. legi ex eodem Scioppio postea didici.

v.33. *Quod præter congruentiam lucrosæ pollicitationis*] *lucrosque*. MS. Notat Nonius apud Plaut. *lucrum* masculino genere dictum. Persa: *Nunc ea narrabo, unde tu pergrandem lucrum facias*, vt & *corius* Pœnulo: *Heri in tergo meo tris facile corios contriuisti bubulos*. Sic apud nostrum, *lorus* lib.3. *Et cum dicto lorum quempiam sinu suo depromit*.

v.40. *Vt me noctis societate*] *opacitate*, fuisse ab auctore scriptum aliquis suspicari posset.

P.267.v.19. *Quis tamen tuto possint*] V.L. *post sunt*. vnde genuinam lectionem puto, *potessunt*. de qua voce adeundus Lipsius lib.1.var.cap.14.

v.20. *Numen deæ soleat eligere*] Ita recte Beroaldus cum in aliis sit, *elicere*. Notatus à me in Plinio similis error lib.10.epist.30. vbi in vulgatis est, *elice igitur id quod præcipue res ipsa suaserit, elige*, reposui. Tu elige vtrumuis, mi lector.

v.17. *Nec impatientia corrumpebatur obsequium meum*] *impatientia* Colu. bene & docte. Insolitum huic æuo verbum, sed vetus, & à Lipsio lib. 1. Elector.cap.7.restitutum Agellio lib.1. noct. At.cap. 13. *dedignationem pariendi* dixit Plinius Panegyrico.

Pag.268.v.19. *Turba sacrorum ritu vetusto*] lego, *turba sacratorum ritu vetusto*. Alii distinguunt, *turba sacrorum, ritu vetusto*.

P.269.v.12. *Et ientaculum religiosum*] De ientaculis Deorum Plaut. Curcul. *Me inferre Veneri voui iam ientaculum.* PA. *Quid antepones Veneri à ientaculo.*

P.270.v.37. *Ac magni Dei*] MS. *ad.* lege *at.*

P.272.v.6. *Exercitum cogitabam*] al. *exercitus*, illud mauult Coluius, nos, *exercituis*, vt *exerte* dixit Tertul.lib.2 ad vxorem in princ. *exerte iubet*, & noster lib.1. de as. *exerte clamitans.*

P.273.v.5. *Et sub illis Sulla temporibus conditi*] forte, *ipsis*.

AD L. APVLEII APOLOGIAM.

v.33. *Obtigit purgandæ*] *purgandum*, membranæ. f. *purgandi*.

Etiam aduersus te contumaciter] Codex scriptus, *contumacie*, f. *contumacibus*.

P.274.v.24. *Si quippiam veri in me explorasset*] *vari* Basil.1. quod probo. id est praui.

Deprehensa haberi] f. *depensa*. vidit Casaubon.

P.276.v.5. *Vt Plato autumat*] *Et Plato* Colu. Ego, & *Platonem autumant*.

P.278.v.5. *Communi aqua perluat*] id est, spurca. vt apud Tertullian.

v.7. *In*

verſ.7. *In fœtutinis & olenticetis ſuis iaceat.*] Douza mavult, *fœtudinis*, quod ego confirmem auctoritate Claudiani Mamerci lib. 2. de ſtatu animæ capite 9. *Cernas hinc alios ſitu fœtudinarum turpium ex olenticetis ſuis ac tenebris cloacam ventris & oris inhalare ſentinam.* ita enim eum locum emendans lego, cum vulgo legatur, *exolenti cacis ſuis* &c, *inalare*. Vulgatam tamen A P V L E I lectionem Nonius tuetur.

v.16. *Multa arundinis dentibus implectuntur*] παθητικῶς.

v.18. *Vna ex auibus fluvialibus amica auis*] *auibus*, gloſſematium puto.

v.28. *Et nomine erratis*] Rectius, *& nonne erratis*.

v.30. *Et Lacedemonius & Ceus*] *Cous*, lego.

v.41. *Stoica ſecta conditoris. Id genus plurima*] Quid ſi legamus, *conditoris, & id genus plurima. Recitem denuo.*

P.279. v.11. *Lux hac optata canatur*] Rectius, niſi quid iudicans fallor, *exoptata*.

v.40. *Niſi amoris elegia*] f. *elegidia*.

P.281. v 17. *Incomptum & ſerium*] mihi magis placet ſcriptura Baſil. Cod. *incomitum*.

v.18. *Pulchritudine honeſtatis virtutis amatoribus*] lego, *honeſtatis & virtutis*.

v.25. *Amabit ſapiens, cupient ceteri*] Nonius Marcellus: *Cupido & amor idem ſignificare videntur, & eſt diuerſitas. Cupido enim inconſiderata eſt neceſſitatis, amor iudicii. Afran. homines amabit ſapiens, cupient ceteri.*

v.29. *Contra ſententiam Neoptolemi Enniani*] eſt apud Cicero, Tuſ. 11.

P.283. v.24. *Nã, vt ait Epicurus, profecta à nobis ima-*

nes] Hunc Epicuri locum ab Apuleio mutuatus videtur Macrob.lib.7. Satur.cap.14. Appuleius autem ſua illa è Lucretio adumbrauit lib.4.

v.29. *Mixti atque munius*] *inuniti* malim, vt ſæpe in Aſino.

P.284.v.3. *Vti arquus in nubibus, varie duo ſoles*] lego, *nubibus varia, duo ſoles.*

verſ.17. *Quod non ſum iurgioſus*] *curioſus*, diuinat Coluius, nihil equidem muto, *hominem minime litigioſum* legas apud Cic. Verr.4.

Tot adoreis longe incluto] Vide Feſtum & Scaligerum.

P.285.v.15. *Quoniam ad villam publicam venerat*] *quom iam.* Steubechius, laudatque Caſaubon. nihil minus. Quoniam ſignificat nō ſolum id quod *quia*, ſed etiam id quod *poſtquam*, teſte Feſto.

v.28. *Quippe hac & alia flagitia diuitiarum alumni ſunt*] MS. Cod. & ed. Baſil. pro *ſunt*, habent, *ſolent*. Et recte. Vtitur ea voce Plaut. aliquoties in eadē ſignificatione.

v.34. *Priſca apud ſecula*] Terent. Enucho: *aput ſeclum prius.*

v.41. *Simpulo & calmo fictili ſacrificat*] De ſimpulo ſiue, vt alii malunt, ſimpuuio, accurate vt erat rerum literarumque veterum apprime doctus Philippus Rubenius, meus, vtinam non olim, affinis, & collega, lib.2. Elector.cap.8. ille inquam, quem dum vixit, inter prima Belgii ingenia merito cenſuit Iuſtus Lipſius, omni ſemper cum honore mihi nominandus.

P.286.v.2. *Cn. Scipio, Marcus Curius*] De his eadem hæc Seneca conſol. ad Heluiam matrem cap.12. quem

quem opere erit videre, & quæ ad eum notabat Iustus Lipsius accurate, vt omnia, & eruditè.

v.17. *Tamque diutinæ militiæ*] *cum omnem apparatum castrensis disciplina submoueat*. Seneca loco proxime citato.

v.28. *Qui nullo strepitu*] Seneca Tragicus Thyeste,

Sic cum transierint mei
Nullo cum strepitu dies
Plebeius moriar senex.

P.287.v.1. *Anteparta vti augeat*] Sic Plaut. Trucul. Act.1. Sc.1. *vnde anteparta demus post partoribus*.

v.4. *Non habuit tantam rem familia Philus*] lego, *rem familiarem*, cum Bas. ed. Et si quis pro *Philus*, *philosophus*, facile illi adsentio. Nam & hic ipse locus eam lectionem requirere videtur.

P.288.v.32. *Quod est vicies, paullo secus*] vt lib.3. Florid. in princ. *Exemplum eius rei paullo secus quam simillimum commemorabo.*

P.289. v.41. *Peram & baculum, ob auctoritatem*] f. *austeritatem*.

Quod sibi videbatur] visum esse dicitur, cuius ratio non apparet. Seruius in Virgil. 3. Æneid.

P.293.v.8. *Adpiscem capiundum*] A manu procul dubio hæc glossographi.

ver.40. *Sed hamis inuncanda*] Ita Coluius adhibet. Sidon. Apol. lib.7. epist.10. Ego Columel. lib.3. cap.3. *Lana quanto prolixior in pecore, tanto magis obnoxia rubis, quibus velut hamis inuncata à pascentium tergoribus auellitur.* Lucil. lib.15. *aut qui nummos tristis inuncat.* Nonius: *Inuncare quasi vnco inuadere & arripere. Quæstuum aduncatores* Cypriano de ieiunio & tentatione.

F

P.295.v.7. *Mercurius carminum vector*] *animarum* legunt Fuluius & Ioan. à Wovveren. *Manium* Scioppius. Vtrumque probum.

v.19. *Omnia ad nequiorem suspicionem trahuntur*] f. *sequiorem*.

P.297.v.3. *Testam hebetem*] vulgo, *habĕtem* Stevvech. *biantem*, vtrique præferam, *albentem*.

v.5. *Et ostrea Pergami vermiculata*] f. *ostreorum terga vermi*.

Plautus Pœnulo *Ac*.1. Sc.2.

Itaque iam quasi ostreatum tergum vlcèribus gestito.

verſ.11. *Spuria & fasciua*] Spurium muliebre pudendum notatur Plutarcho.

v.19. *Quorumdum adhuc nescius esse nolui*] Sic Celſus Iuriſconſult. l.18. D. de acq. poſ. *Possidere me certum est, quamquam id nemodum attigerit.*

Pag.298. verſ.22. *Feminæ subent, mares furiant.*] Arnobius lib.1. in princ. *Animalia terris sueta, atque in aquis degentia non esuriunt nec concipiunt*, vbi *esuriunt* pro *furiunt*, Græcis ὀργᾷν. Longus Sophiſta venuſtiſſimus ſcriptor ποιμενικῶν libro 3. de Daphnide & Chloe: πείθεται Δάφνις καὶ συγκατακλινεὶς αὐτῇ πολὺν χρόνον ἔκειτο, καὶ οὐδὲν ὧν ἕνεκα ὤργα ποιεῖν ἐπιστάμενος, ἀνίστησιν αὐτὴν, *&c.* Quæ ita vertebat Gothofredus ungermannus Lipſienſis inuida nuper morte nobis ubtractus: *Flectitur Daphnis & concumbens cum ea iu iacuit, ceterum nihil quorum caussa furiebat, agere dcius, erigit ipsam*, &c.

Pag.300.v.33. *Vbi pisces per Deucalionis diluuia sreperiantur*] Tertullian. de pallio: *Nutauit & totus orbis aliquando aquis omnibus obsitus, adhuc maris concha & buccina peregrinantur in montibus.*

Cum

Cum parte eorum] Nescio an legendum, *cum partim eorum.* Vide Agel.lib.10.cap.13.

P.304.v.33. *Quasi quindecimuiri sacris faciendis creati*] Ironia, vt mox: *vt video vos palæstritam, non magnum accusatum venistis.*

P.306.v.32. *Et cæterum quod dextra auris*] pro, *ceteroqui*, vt sæpe in Asino.

Et à vobis stat] *Pro illo stare* Terent. Phor.

Finge quiduis, reminiscere, excogita] Colu. legit, *comminiscere.* Iuvo Plauti loco Asinar. Ac.1.Sc.1. *Fabricare quiduis, quiduis comminiscere, perficito*, &c. Ipse Lucius noster lib. 4. *Tale consilium comminiscimur.*

P.309.v.5. *Tute argue quæ dicis*] L. *qui accusare.* C *de edendo*, sacrorum plerique initia in Græcia participant.

Eorum quædam signa & monumenta, &c. *σύνθημα* vocat Clemens Alexandrinus, *signum* Arnob.5. ad gen. quo sacrati & symmistæ inter se noscebant. Facit huc insignis locus Minutij felicis, cui cum à gentibus esset obiectum, *occultis se notis & insignibus noscunt*, respondet, *Sic nos denique non notaculo corporis, vt putatis, sed innocentia ac modestiæ signo facile dignoscimus.*

Percensentibus iis] al. *partim Oeensium.* vt apud Agel.lib.10.cap.13.

P.311.v.1. *Et fortasse nos ob hanc*] legerim, *fortassean.*

Diuini contumaciam] τῷ θείου non bene mutat Colu. in *diuum.*

v.12. *Quod post ista*] vt *postilla* dicimus, & *postea.* Infra, *neget post ista quæ dixi.*

Gumiæ cuiusdam] *Gumiæ*, gulosi. ita enim apud Nonium legit Ioseph. Scaliger Coniectan. in Varron. Et *degumiare* apud Fest. id est deuorare, degustare.

Quanquam meo tempore] f. *in eo tempore.*

De die in ganeas correpat] Quod tempestivum conuiuium dicitur, de quo Lipsius excursu ad Corn. Tacit. lib. 12. Annal.

v. 21. *In illo Cauponis nidore*] melius, *caupona*, aut potius, *Cauponii.*

v. 33. *Pro studio bibendi, quo solo censetur*] frequens locutionis formula optimis passim auctoribus: in his Rinio, Agellio, Plinio, Iuvenali, Iustino. Sed & Minutius Felix: *Nos igitur*, inquit, *qui moribus & pudore censemur.* Tertullian. de velan. virgin. *proprietatem eius vocabuli* [mulieris] *ad sexum ipsum, non ad gradum sexus pertinere, quo communiter etiam virgines censeantur.* Sidon. Apollin. lib 8. Epist. 7. *qui superbissime opinantur solo se censu esse censendos.* Occurrit & apud Iurisconsultos *iuris peritia censeri* Instit. *de iure nat. gent. & ciuili.* Et l. vlt. de suis & legit. hæred. *nulla iuris auctoritate censeri*, & alibi.

P. 312. v. 27. *Ex crapula helluo attentatur*] *heluco* legendum, aliis ante nos animaduersum, eam vocem apud eund. Tertullianum inuenias *de corona militis: quod hederæ natura sit caput ab heluco defensare*, id est, grauitatem capitis arcere, quæ nimia vini ingurgitatione creatur. vide Turneb. lib. 21. Aduers. cap. 12.

v. 28. *Animaduerti satis notabiliter*] Ven. *nobiliter.* Colvius, *nauseabiliter.* Retineo ego, *notabiliter.* Cyprian. de habitu Virgin. *Ceterum situ te sumptuosius comas, vt per publicum notabiliter incedas.* Plinius

lib. 1.

lib.1.epist.5 *expalluit notabiliter, quamuis palleat semper.*

P.313.v.5.*Cilia turgentia, rictum*] Deest forte aliquid.

v.18.*Intercessoribus & deprecatoribus*] legerim *depreciatoribus.* Sidon.Apollinaris lib.1.Epist.VII. *Et pretiosa quæque trapezitarum inuolucra rimari, pensare, depreciare, deuoluere,* &c. Et lib.II.Epist.10. *Neque apud te literariam curam turba depreciet imperitorum,* ad quem locum, vide quæ annotauit Ioan.Sauaro, cuius equidem scrinia non compilo. Tantum addo B.Ennodii locum lib.3.Epist.2. *Apud amantes & honore pollentes beneficiorum effectus in promptu est, nec vllas preces, cui præstandi* [al.*precandi*] *mos est, tarditate depreciat.*

v.25.*Quanquam sunt soluta audacia*] al.*solita.*forte *solida.*

v.29.*Nam quod pinnarum formidines*] Virgil.12. Æneid.

Inclusum veluti si quando flumine nactus
Ceruum, aut punicea septum formidine pennæ
Venator cursu canis & latratibus obstat.

Aut Deus iste] *vt,* lego.

P.316.v.29.*Minime prosperum matrimonium*] vt apud Plinium lib.10. epist.95. *parum felix matrimonium expertus est.*

v.35.*Vt videretur se merito vltum ire*] Cor.Tacit. 15.Annal. *Spretum Arsacidarum fastigium ire vltum volens.*

P.318.v.12.*Cum Sicinio Claro*] Hæc mihi quidem pro glossemate.

v.20.*Assuetudine coniugis*] *dissuetudine,* lego.

Pag.320.v.19.*Et conuersum ab re vxoria videbat*]

Auersum cum Casaubono lego. Terent. And. *abhorrentem ab re uxoria* dixit. Et Hecy. *Cui abhorret animus à nuptiis.* quo significatu apud probos auctores sæpenumero legi *auersum*, nemo tam à Musis auersus qui negare possit. Lipsius tamen vulgatam lectionem sequitur, nam, inquit, qui se auertit, se conuertit.

v. 25. *Liberius me ex ea fruiturum*] fortean, *uberius me reualescaturum.* Sed lego tantum *uberius*, cætera non muto. Plinius lib. 5. Epist. 18. ad Macrum: *frueris mari, fontibus.*

P. 321. v. 19. *A conspecta fide desciuisse*] Colu. *forsitan, à compecta*, bene.

v. 37. *Libidinum ganearumque locus*] Malim, *lacus*, vt pro *inguinum loco*, *lacu* quoque conlectabamus ad lib. de dogmate Platonis, vti & ad nauim & ad flumen sæpe allusum in re obscena Sic & natandi verbum in hoc vsurpatum apud Sueton. Domitiano cap. 22.

P. 322. v. 4. *Qui istum deperdunt, multi sunt*] Colvius *depereunt*, non probat Casaub. mavultque, *qui istum di perduint*, *multa sunt*, *qui* non pro vtinam, quod aliàs comicis familiare, sed pro, quare. Priore tamen sensu And. Schottus noster illis eruditissimis suis Ciceronianis tentabat, *qui istum di perduint. multus honos auribus præfandus.* Si ab hoc triumuiratu dissentire fas sit, nescio an rectius ad auctoris sensum, & huiusce loci sententiam, quod non-nemini in mentem venit, *qui istum depsuerint*, *multi sunt.* Præsertim quando in proferendo turpissimo genere libidinis honorem Lucius noster verecundè præfatur, vti facundum quoque monet Marc. Tul. Lib. 9. Epist. 22. ad famil. vbi hanc ipsam vocem

a lib. ber.

adhibet. Quam & reſtitutam à Ioſepho Scaligero memini Catulliano carmini in Gellium, cum applauſu Adr. Turneb.lib.21. aduerſ. cap.xvii. Intelligi & hoc verbum puto, quod non expreſſe Tibullus lib.4.circa fin.ad Priapum:

Improbus vt ſi quis noſtrum violarit agellum,
Hunc tu ſed taceo.ſcis puto quod ſequitur.

verſ.32. *Et omnino collurcinationibus dilapidauit*] Claudianus Mamercus ſtudioſus Apulei imitator lib.2.cap.9. de ſtatu animæ: *qui ſtipem ſuam variis conlucernationibus delapidauit*, vbi tamen pro *conlucernationibus*, & apud Apul. *collurcinationibus*, Ioannes Sauaro doctiſſimo commentario ſuo in Sidon. Apollinar.lib. 4. Epiſt.3. *collurchiationibus* reponit, & quæ apud eundem Claud. Mamercum ſequuntur *paraſito more laudari* emendo, *Paraſitico ore.*

v.38. *Totam domum contumeliis abnuit*] Coluius legit diuinando, *obuoluit*, ſ. *abſoluit.*

P.313.v.8. *Nomen potius aſſerens puellæ*] *afferens* malim.

v.11. *Quis non diſciplinam matris agnouit?*] Iuvenal. Sat.14.

—expéctas vt non ſit adultera Largiæ filia? & quæ ſequuntur.

P.325.v.19. *Ad expellendum à me crimen magiæ, &c.*] Sic hæc legerim & diſtinxerim: *ad expellendum à me crimen magiæ.ſedulo omiſſa memorabili laude Rufini voce mutauit. Mutauit*, παθητικῶς. vide Agel lib.18. cap.12.

Sed ſum ego inſcius] lego, *ſumne.* Plautus Perſa Ac.1. Sc.2. *Sed ſumne ego ſtultus, qui rem curo publicam.* Correctio comica.

P.327.v.31.*Tune vltro parentis tua*] f.*vltima*, vt in Asino lib.*3*.

v.*33*.*Infelix vterum tuum*] Plaut.Aulul.Ac.*4*.Sc. VII. *vterum dolet*.

v.*37*.*Viuenti & videnti offerentur*] *viuus videnſque pereo*,apud Terent.Eunucho.Lucret.lib.*3*.*Mortua cui vita eſt prope iam viuo atque videnti* Marc.Tul. pro Quintio, *viuo videntique funus ducitur*. ζῶντι & ὁρῶντι.

P.*3*18.v.*13*.*Ad quam auſus es*] *Atquin*, Colu. nihil muto.

Pag.*329*.v.*3*.*Tabernariis blanditiis ſubagitarem*] Columus *ſublatrarem*. Mihi non diſplicet hæc lectio. Plautus Ciſtellar.

Subagito blandis & benedicis dictis.

v.*5*.*Qui epiſtolam Pudentillæ Gracatiorem*] forte *Gracaniorem*,ſed retineo *Gracatiorem*,vtitur eo Tertullian.

v.*36*.*Mater futura in ipſo materno,ſi nubat*,&c.] forte ita legendum:*mater futura in ipſo materno ſinu, ſi aut in ſegete adulta ſuper fœcundam glebam,vel enim ſub vlmo marita iubet in ipſo gremio terræ matris.*

P.*330*.v.*18*. *Decem annos Mezentius*] Æmilianus qui ita dictus.

v.*24*.*O falſum audax & nimium*] f.*æſtimium*.Feſtus,*æſtimias,æſtimationes*.

P.*332*.v.*16*. *Longa dote & molli conditione*] *uncta* Colu.non muto ego.

Dote aucta] *uncta* Colu.Ego nec hic muto.

Concordiæ & pietatis auctor, conciliator, fauiſſor] *fauitor* Lipſ. Quid ni,*fautor*? Valer.Max.lib.*2*. cap.*1*. *Vt ſi qua inter neceſſarios querela eſſet orta, apud ſacra menſæ, & inter hilaritatem animorum fautoribus*

bus concordia adhibitis,tolleretur. Apud Petron. Arb. *præsentis concordiæ auctor.*

P.333.v.36.*Vir bonus, dicendi peritus*] Ita oratorem Cato definiuit. Atqui *Herennius Senecio mirifice Catonis illud de oratore in Regulum è contrario vertit, Orator est vir malus dicendi imperitus. Non me Hercule Cato ipse tam bene verum oratorem, quam hic Regulum expressit*, Vt est apud Plinium lib.4. Epistola 7.

P.334.v.28.*Dum tu Magia, maleficii, criminis insectabere*] alterutrum vacat.

P.336. v.18. *Vix singulas syllabas fringultientem*] Claud. Mamercus loco superius adhibito: *Interque ructandum quasdam sugillatim voculas fringultientem*, malè vulgo *vnculas*, fuitque cum *quasdam sugillatiunculas*, inde facerem. Sidon. Apollin. lib.8. epist. 9. *Presbyterorum sane paucis angulatim fringultientibus, porro autem palam ne mussantibus quidem.*

P.338.v.29.*Mihi quicquam impartiret*] malim, *mihi nihil quicquam.*

v.30. *An vt testamento, quod irato filio scribebat*] scribo, *irata.*

AD L. APVLEII FLORIDORVM LIBRVM PRIMVM.

P.340.v.5.Floridorum hi libri recitati videntur, distinctique per dies, & ex variis mixti argumenti: vt Galli dicunt, *du cocq à l'asne.*

v.10. *Quamquam oppido festine*] *Festino*, legit Lu-

eas Fruterius. Infra lib. 4. *Quanquam oppido festinant.*

v.16. *Vel truncus dolamine effigiatus*] Vide P. Pithoeum Aduersar. subsec. lib. 2. cap. 14.

Pag. 341. v. 11. *Hyagnis*] Sic in Epigr. Græco. al. *biagnis.*

v. 13. *Tam infixa anima sono*] alias infexa an. so. Vnde Lipf. *flexanima sono.* Ego, *inflexanimo sono*, vt in Asino sæpe præpositio *in* nominibus & verbis addita.

v. 34. *Sed Marsyas*] Scriptus cod. *sed marsie.* vnde f. *Marsia.* vide Iuvenal. Sat. 9.

P. 342. v. 9. *Circa corporis sui qualitatem*] MS. intra lego, *contra corporis sui squalitatem.* Nam *circa*, fere semper pro *contra* scriptum fuit, vt supra in asino, & *squalitatem* reperias apud Lucil. lib. 26.

v. 12. *Apollini obiectata*] Idem MS. *obtrectanda.* forte *obtrectata.*

P. 343. v. 8. *Et illis expedire gressum nequientibus*] Idem, *neque certantibus.* f. *nequitantibus.*

v. 13. *Est apud illos gens*] Hæc Solinus sic expressit cap. 53. *Indorum quidam agros exercent, militiam plurimi, merces alii, optimi, ditissimiq; Remp. curant, reddunt iudicia.* &c.

Quam bubulcitare nouere] Plaut. Mostel. *Ac.* 1. Sc. 1. *decet me amare, & te bubulcitarier.*

v. 39. *Fortuna sua maior fuit*] *quam solus omnium mortalium in potestate habuit.* Q. Curt. lib. 10.

v. 40. *Successusque eius amplissimos*] Solinus capite 14. *Ita enim affluenter successus eius ampliandis opibus proficiebant*, vt ante omnes *Apollini Delphos, Ioui Elidem statuas aureas dono miserit.*

v. 41. *Et superauit vt melior*] *Sic morte melior* 7. de

Asino

asino, pro mortis contemptore, vt ad *Apolog.* vidit Casaubonus.

P.344.v.3. *Et praclara edita*] *edicta* lego, propter illud antitheton, *domi prouisa*, & post paulo, *sed edixit vniuerso orbi*. Vnde Plin. lib.7. capite 37. Horat, lib. 2. Epist.1.

v.24. *Pallio tenus philosophos*] Vide lib.11. de *Ass.* Meminit & Plinius quorumdam, *qui sapientiæ studium habitu corporis præ se ferunt*, lib.1. epist.22. Et Symmmachus lib.1. epist.29. *qui philosophiam fastu & habitu mentiuntur*. Vide eundem lib.11. epist.61. Adi & si libet *Agel.* lib.9. cap.11. Quanto rectius de Christianis Q. Minutius Felix: *Nos non habitu sapientiam sed mente præferimus: non eloquimur magna sed viuimus.*

v.26. *Male dicendo & similiter viuendo*] *simulter*, malim.

v.34. *Quis ex rupiconibus bauilis*] Rupicones qui *rupices* Tertulliano *Apologet.* & lib. de anima. Vide Festum dictio. *Petrones*.

P.345.v.15. *Neglegenter ac de summo pectore*] *aut*, melius.

v.29. *Et quidem perdiu stat*] *perdius*, legerim.

v.38. *Nec ante mutare*] lego, *nec demutare*.

P.346.v.1. *In opificiis operibus*] *opificis* f. quod & Scioppio placitum postea comperi.

AD L. APVLEI FLORIDORVM LIB. II.

Pag.346.v.9. *Suis sibi manibus confecerat*] eadem Plato in Hippia. Cicer. 3. de Orat. D. Hieronymus in Epitaphio Nepotiani.

v.14. *Quod genus pictura Babylonica*] forte, *quot genus*. Nota ex Martiali ——*Babylonica picta superbe*
texta, Semiramia quæ variantur acu.

P.347. v.14. *Me dilectorem tuum profiteor*] Quid si, *debitorem.*

v.29. *Prouincia Africa magis reuerita est*] vulgo *magna.*

v.38. *Admirabilior esset in iuuene, quam in te parta laus*] lego, *in te patre*, Quid pote melius?

P.348. v.4. *Et fauor Cæsarum*] *Marci & L. Veri*, vt puto.

v.53. *Rostri prima duritia*] vide Solin. cap. 53.

v.40. *Cum tenera lingua*] *dum*, potius.

Senex autem captus & indocilis est & obliuiosus] ego certo pro meo captu legerim, *Senex autem captu & ind.*

P.349. v.7. *Vt vocem si audias, hominem putes*] Martialis de pica: *Si me non videas, esse negabis auem.*

v.8. *Idem conari*] MS. *conatem non loqu.* Lips. *tonare non loqu.* Ego etiam, *cantare*, diuinabam, quanquam à vulgata lectione non recedo. Iuuat Persius:

Picasque docuit verba nostra conari.

Quod erat aucto gibbere] Quid si, *quod auxerat gibbere.* παθητικῶς. Simile factum patris Galbæ apud Sueton. Galba cap. 3.

v.24. *Nec ab ea multo pelagi dispescitur*] Magis placet editio Basil. *dispicitur*: Macrobius: *quod Rhegium à Messana dispicit.* Solinus: *Africum limitem dispicit.*

P.350. v.22. *Magistrum in secreto defendisset*] manuscrip. *magistri.* forte, *magistri in secreta defendisset.*

v.26. *Nec vinitori, nec olitori scalpitur*] *Oleri* MS. Colu. *oliuitori*, quod non placet.

v.32.

v.32. *Idfanum secundo littore*] *secundum littora*, Colu. Pro vulgata tamen Sallust. Iugurth. *Igitur ad Catabathmon, qui locus Ægyptum ab Africa diuidit, secundo mari prima Cyrene est.*

P.351.v.33. *Numinum vagantium status, ambitus*] f. *luminum vagantium status ambitus*, & ita etiam Ioan. à Wovvberen, sed adhuc nescio quid deesse videtur.

Vtrorumque varios effectus] *astrorumque*, lego.

Pherecydes Syro ex insula oriundus] f. *Scyro*. vide Ortelii Synonymam Geographicam.

Et Platonem disciplinæ gratia sectatus] Mendum puto. Nam Plato post Pythagoram fuit. Vide de dogmate Platonis statim à principio.

P.352.v.15. *Verbaque quæ volantia poetæ appellant*] Apolog.1. *Verba ita vti poetæ aiunt, pinnis apta vulgo volarent.* Poetam munit illum,

Quo minor est, quisquis maximus est hominum.

qui ἔπεα πτερόεντα, verba alata dixit: Et Odys. φ.

——— τῇ δ' ἄπτερος ἔπλετο μῦθος, id est, *huic pennis dicta carebant*: hoc est, haud longius auolabant. Plautus Amphit. *Ac.1.Sc.1. Vox mihi ad aures aduolauit.* So. *Næ ego homo infelix fui, qui non alas interuelli, volucrem vocem gestito.*

v.16. *Intra murum candentium dentium premere*] Adi Agel. Noc. Attic. lib.1. cap.15.

v.19. *Vocem desuescebant*] *desuescebat* MS. vide Nonium, *desueui.*

v.20. *Grauioribus viris breui spatio*] Parum abest, quin legendum asseuerem, *bienni*. Agel. lib.1. cap.9. *Sed non minus quisquam tacuit, quam biennium.*

v.22. *Loquaciores enimuero ferme in quinquennium*] Seruius ad hæc Virgilii 10. Æneid. *Tacitis*

regnauit Amyclis. Pythagorica virtus est quinquennale silentium.

velut exilio] MS. *tum*, lego, *vti.*

AD L. APVLEII FLORIDORVM LIB. III.

P.353.v.8. *Nihil tantum, nihil tantulum faciã*] *Apolog.*2. in princ. *qui non modo vllo facto, sed ne tantulo quidem dicto meo læsus.* M. Tul. lib.1. epist.xiv. ad *Attic. vt huic vix tantulæ epistolæ tempus habuerim.* & lib.15. epist.27. *Nec quicquam posthac non modo tantum, sed ne tantulum quidem præterieris.* Pro Domo sua: *Quod enim est in terris commune tantum tantulumue consilium, quod non*, &c.

v.16. *In scena dictauit*] f. *in scenam.*

Extimus quisque excuneati queruntur] lego *excuriati.* Varro Hippocione aut ἱπποκύων: *Apollonium ideo excuriauit quia nihil habebat.* Nonius, *excuriari*, Sed non male etiam *excuneati.*

v.37. *Farto toto theatro ingens stipatio*] V.C. *arto toto theatro.* quæ scriptura Colvio licet improbetur, verissimam tamen confidenter affirmarim. Horat. lib.1. Ep.2. *Hos ediscit, & hos arto stipata theatro spectat Roma potens.* *arto theatro*, propter multorum hominum in eo concursum.

P.354.v.38. *vobis multas gratias dicerem*] f. *ducerẽ.*

P.355.v.1. *Si nihil ex gratia eius petitio mea defregisset*] legerim, *defrugasset* vt apud Caton. de re rust. cap.iv. *Segetem ne defruget.* ita enim iam olim Beroald. accuratissimis suis in *Asinum* Commentariis, non, *defrudet.* vt & apud Plin. lib.18. cap.24. *Segetem ne defruges.*

v.3. *Aut*

v.3. *Aut parum pretium accipit*] Manuſ. *panum*, forte, *paucum*. Agel. lib.9. capite 4. *libros plurimos are pauco emo*. Ald.& Rom. *parum pretium*, quod placet Coluio. neque dubium habeo quin ita ſit legendum, vt apud Plaut. Bacchid. Ac.3. Sc.6. *Si pergis parum mihi fidem arbitrarier*. Terent. Eunucho Ac.1. Sc.11. *Forſitan hic mihi parum habeat fidem*, ſic enim ex membranis legit Ioan. Gulielmus.

v.2[illegible]. *Qui vnquam Numantiæ fuere*] *Numantiæ* non eſt in MS. Puto ſcripſiſſe Appuleium, *mante*, & inde hoc corruptum.

v.25. *Nondum hercle reperio*] MS. *audum*. lego, [illegible].

[illegible]33 *Quod honorem meum non minus mereor*] qui[illegible] [illegible], *renereor*.

5[illegible] v.20. *Vt integro die beneficium*] lego, *vt de* [illegible] *ſenes*

[illegible]0 *Ne in Carthagine deſinit*] MS. *ne vt* f. *nedum* [illegible]*gine*.

[illegible]57 [illegible].8. *Oggerere ſe & ocioſis præſidibus*] legerim, [illegible]*gis* vel *exitioſis*, ſeu[illegible] *otioſis*, legit Colu.

[illegible]7. *Non magis vſu iuerit*] pro *iuuerit*. Coluius [illegible] legit *vſus fuerit*.

v. 9. *Quid ſi pedes pedicis coartentur*] *carcerentur* MS f. *cerceantur*.

P.358. v.12. *Non niſi confertos homines conſectarer*] MS. *non niſi inter confectos homines conſecrarer*, f. *conſectarer*.

v.18. *Ad ſalutem nitebantur*] idem MS. *videbantur*, f. *trudebantur* vel, *ludebant*.

v.20. *Vt inquam magis congruerint*] lego, *vtique*.

v. 3. *Olores apud auios fluuios*] forte, *Aſios* Virgil.7. Æneidos.

——*sonat amnis & Asia longe pulsa palus.*

v.29. *Iuvenibus & senibus*] *Viuentibus* MS. forte *iuventuti*.

AD L. APVLEII FLORIDORVM

LIB. IV.

P.359. v.5. *Nec quod hic alias mimus hallucinatur*] Arnob.lib.4. *Et si quando animum desidem otiosis vultis hallucinationibus occupari, dies vobis poscatis dari, & sine vllis intermissionibus exhiberi.*

v.27. *Vt etiam in amplissima quaque lætitia*] Lucret.lib.4.

——*medio de fonte leporum surgit amari aliquid.*

v.29. *Id ego cum etiam alias*] sic MS. vulgatum vbique *in alias*, quod probo.

v.32. *Et qui penes extrarios*] Ita & Tertul. loquitur De testimonio animæ: *Terram grauem imprecaris, & cineri penes inferos tormentum*, & lib. de baptismo: *Penes veteres quisquis se homicidio infecerat, purgatrice aqua se expiabat*, & passim.

v.39. *In concilio Africæ*] Coluius diuinat, *in confinio*. ego nihil muto.

P.360. v.6. *Ita apud nos cuique modestia obnoxia est*] *vtique*, forte.

v.22. *Diutuleque nec asserere velle*] MS. *à se reuellere*, lego, *agere velle*.

v.24. *Expositaque conditione quam in docendum receperat*] Sic expresse in MS. explicat Coluius pro, *in quam*. Ego etiam puto, *quaim*, pro, eum. Ab eo quod est *is* non *eum* casu accusatiuo, sed *im* dicebant, vt docet Macrob.1.Satur.cap.4. & vtique delectari Lucium nostrum antiquitate scimus, verbisque subinde

vti paullo magis priſcis, & *vetuſtas quidem nobis ſem-per, ſi ſapimus, adoranda eſt*, vt monet idem Macrob. lib.2.cap.10.

v.39. *Inter ſe terere*] *coercere*, vulg. Legendum *cohærere*, vt in Aldina editione legi teſtatur Ioannes à Wouvveren, vir accuratiſſime doctus atque eruditus.

v.41. *Tam ſenticoſa*] *ſententioſa* MS. male, vulgata cum Plauto eſt, Captiu. Ac.1.Sc.2.

Nam meus ſcrupoſam victus commeat viam.

P.361.v.10. *Delinquentis obſtacula*] *deliquantis*, MS. explicat bene & erudite Coluius.

v.31. *Ab Aeſculapio deo capiam*] Æſculapius Deus Carthaginenſium. Tertullian. *In ipſis denique templis Deum iudicem imploras ſub Aeſculapio ſtans.* Erat autem & ipſe Carthaginienſis.

P.362.v.19. *Funus ingens locatum*] f. *collocatum*.

v. 20. *Qui exequias venerant*] vt *exequias ire* dixit ſupra 3. Florid. Terent. Phormione, alii.

v.22. *Etiam cognoſceret*] vulgo, *incognoſceret*. probat. Colu.

v.24. *At vero vt ipſe aliquid in illo ex arte reprehenderet*] MS. *At vero vt ipſe vir aliquidin il. ex ar. deprehenderet.* Coluius reiecto τῷ *At*, legit: *Venit vt ipſe aliquid in illo ex arte deprehenderet.* Ego, *adſeuerat ipſe viui aliquid in illo ex arte deprehendere.* Vel etiam, *venit vt ipſe viui aliquid in illo ex arte deprehenderet.*

verſ.32. *Cœnam feralem à tumulo ad menſam referrent*] hinc & ex ſuperioribus patet cœnam feralem eſitari ſolitam iuxta ipſum rogum.

v.41. *Quibuſdam medicamentis prouocauit. Sapientis viri*] videtur hiare, & deeſſe aliquid.

P.363.v.5. *Prima cratera litteratoris ruditatem eximit*] Lectio aliarum editionum est, *litteratoris rudato eximit*, MS.*litteratoris ruato eximit*. Colu.*litteratoris ruditate exuit*, forte,*litteratoris rude eximit*, vt significet ferulam tristem,sceptrũ pędagogorum, vt vocat Martial.lib.10. Epig.62. nos dicimus,*de roede ontvvassen*.Nisi *rudatus* sit magisterium rudis.

v.16. *Conatus in laude,effectus in casu est*] Varro 1. de lingua lat.*Successum enim fortuna, experientiam laus sequitur.*

v.17. *Etiam cogitata scelera, non perfecta adhuc vindicantur*] Etenim *omnia scelera, & ante effectum operis,quantum culpæ satis est,perfecta sunt*. vt eleganter scribit Seneca lib.2.de tranquil.animi.

v.32. *Hisce igitur moramentis omnibus qui volunt deuitari*] scripserim,*qui nolunt diuexari*, vel *deuexari* & *deuiare*,quod Gallis hodieque est.*desuoyer*.

v.33.*Advectorem sibimet equum deligunt*] lego,*ad vectorem*, ex iis quæ noto ad lib.1. de asino. *Vector equus* sæpiuscule hic occurrit.

v.41.*Releuant gradum*] MS,*reuelant*. vnde Colu. *reuetant gradum*] seu,*rebetant*.f.*relentant*.

Ad bene viuendum non quicquam esse] legerim, *non cicci esse*,vel,*ciccum*,aut *cicum*.

FINIS.

CORNELII

CORNELII MARTINI
ANTWERPII, PROFESSORIS
publici in incluta Iulia,

ANIMADVERSIONES
IN
APVLEI LIBRVM
ΠΕΡΙ' ἙΡΜΗΝΕΙ'ΑΣ
ad
GEVERHARTVM ELMEN-horstium.



Clarissimo & doctissimo

Viro

Dn. GEVERHARTO ELMENHORSTIO S.



IR Clarissime, amice honorande, in Libello isto Apuleij, cum multa sint, quæ ille rectius, aut certe studiosę iuvẽtuti commodius tradere poterat, nihil tu homo in hisce literis exercitatissimus, ignoras. Agit non tantum de enuntiationibus; sed quoque de Syllogismorum doctrina. Et in priori quidem parte Aristotelem plerumque sequitur, nisi quod alicubi textus hiare videatur, vitio videlicet temporum, quæ multa & eximia nostræ ætati inuiderunt. Pagellas tuas scio me libro cuidam inclusisse,

clusisse, qui in quotidiano mihi vsu erat, ne mihi vel memoriæ meæ exciderent, nec tamen minus quis liber fuerit, non memini, non etiamsi diligentissime plerosque explicarim, tamen fugitiuas illas inuenire potui, itaque quodnam illud fuerit exemplar, ignoro, & num in eo totus hic libellus, an verò eius pars tantum descripta fuerit, scire non possum. Colui*j* editionem quæ Lugduni Batauorum ex officina Plantiniana à Raphelengio An. 1588. edita est, ego habeo: in cuius notis inuenio totam illam, quæ est de syllogismo doctrinam ab eo primum editam fuisse, quæ à prioribus editionibus absit: non tamen dubito quin totus libellus in pagellis fuerit, cum editio mea tot iam annos habeat. Itaque, vt dixi, agit de enunciatione & syllogismo, accuratius multo in priore quam in posteriore parte versatus: & miror homini

philoſophum in enunciationum doctrina placuiſſe, non itidem in doctrina ſyllogiſmorum, in qua ille profecto iuventutem valde turbat. Neque hoc quoque minus miror quid Martianum Capellam & Iſidorum impellere potuerit, vt Apuleium præ Ariſtotele ſequi decreuerit, cum tota illa ſyllogiſmorum conſtructio valde ſit violenta. Nolo in omnia hic inquirere, ſed quædam tantum oſtendam in hiſce de quibus loquor ſyllogiſmis. in primo modo formulæ (vt nos loquimur figuræ) primæ hic illi ſyllogiſmus eſt

Omne iuſtum honeſtum
Omne honeſtum bonum
Omne igitur iuſtum bonum

Atqui ſi naturam & Ariſtotelem ſecutus fuiſſet, quam ſecundo loco collocat, primo ponere debuit: ita enim dictum de OMNI vt Logici loquuntur actu in ſyllogiſmo fuiſſet, & o-

mnes

mnes termini ſuo quiſque loco hoc modo:

Omne honeſtum bonum
Omne iuſtum eſt honeſtum
Omne iuſtum eſt bonum

Hæc eſt naturalis terminorum diſpoſitio, hic legitimus medii ſitus, quia, cum medius terminus contineatur in maiore & minor in medio, neceſſum quoque erit minorem contineri in maiore; vt nullus tã ſit puer, qui vim conſecutionis vel naturaliter non videat, cum alteram illam niſi per hanc oſtẽdatur, aſſequi nemo poſſit. Si itaque enunciationes ſic recte collocaſſet, habuiſſet cum Ariſtotele primum modum primæ figuræ, quem in ſcholis appellant BARBARA hoc primum,

Deinde quod propter concluſionis conuerſionem novum nobis modum fabricat, quem deinde quintum facit, mihi quidem valde ridiculum eſt; non enim propter terminorum il-

lam diſpoſitionem, ſed quia concluſio ita conuerti debeat, quod antea docuerat in libello de enuntiatione, ille modus valere poteſt: vt quoque illi ſyllogiſmo alio ſit opus, ſi conſequentiam ſuam probare nitatur, cum tamen videri velit concludere in figurarum omnium perfectiſſima, quę eſt prima Ariſtotelis. Galenus iſtiuſmodi ſyllogiſmos etiam viderat, & propriam illis figuram conſtituerat, quam quartam eſſe volebat; ſed eam confutauit Auerroes & Zabarella quoque pulcherrimo Libello de quarta ſyllogiſmorum figura illam refellit. Itaq; rectius Apuleius noſter Ariſtotelem, quem eum legiſſe video quatuor modos in prima hac ſiue formula, vt ille, ſiue vt nos loquimur, figura tantum collocantem retinuiſſet. Sed ea diſpoſitione, quam illi lux naturæ oſtenderat, imo quoque imperarat,

perarat,atq; hic eſt primus cum quinto Scriptoris noſtri modus.

Iam & alter tranſpoſitis propoſitionibus eſt ſecundus Ariſtotelis in prima figura, quem in Scholis vocamus CELARENT

Sic Apuleius.

Omne iuſtum honeſtum
Nullum honeſtum turpe
Nullum igitur iuſtum turpe

Ita autem Ariſtoteles:

Nullum honeſtum turpe
Omne iuſtum eſt honeſtum
Nullum igitur iuſtum turpe

Euidens eſt in hoc ſyllogiſmo dictum de Nullo. cum enim turpe de omni honeſto remoueatur, iuſtum autem ſub honeſto contineatur, remouetur quoque turpe de omni iuſto. Hæc altera rationis noſtrę eſt facula in ſyllogiſmis negatiuis, quam propoſitionum non commoda poſitione perturbat ille Platonicus. Sed etiam hic

denuo conuertit conclusionem, atque ita nobis sextum modum fabricat, pari quo supra fundamento.

Tertius primę figuræ modus apud Aristotelem erat quem in scholis vocant DARII, pro quo nobis hoc exemplum adfert,

Quoddam iustum honestum
Omne honestum vtile
Ergo quoddam iustum vtile

quam ille minori loco ponit esto maior, & fiat maior illius minor, hunc habebimus syllogismum:

Omne honestum vtile
Quoddam iustum est honestum
Ergo quoddam iustum est vtile

Verus est syllogismus & recte positus. Etiam hic reflexim infert, & septimũ modum cudit, pari cum reliquis absurditate; nõ enim in prima illi sunt figura, sed quod tentauit Galenus, si Syllogismi essent, alia illis sedes siue alia figura assignanda foret.

Quartus

Quartus modus erat FERIO, literę ostendunt maiorem debere vniuersalem negantem, minorem particularem aientem esse, ille vtramque loco mouit & talem dat, qui particularem habeat maiorem & negantem minorem, quod vtrumque si ad leges Aristotelis emendaueris, vitiosum est; talis sit Apulei syllogismus

Quoddam iustum est honestum
Nullum honestum turpe
Quod igitur iustum non est turpe

Aristotelis est

Nullum honestum turpe
Quoddam iustum est honestum
Ergo quoddam iustum non est turpe

Duos octavum vero & nonum, quos hinc colligit, rectius concludemus, si naturam secuti fuerimus: octavus est Apuleio

Nullum turpe honestum
Omne honestum iustum
Quoddam igitur iustum non est turpe

Natura ita concluderet:

Nullum honestum turpe
Quoddam iustum est honestum
Ergo quoddam iustum non est turpe

Et in nono ita Apuleius:

Nullum turpe honestum
Quoddam honestum iustum
Ergo quoddam iustum non est turpe

Natura sic:

Nullum honestum turpe
Quoddam iustum est honestum
Ergo quoddam iustum non est turpe

Atqui hęc est prima eius figura. Hi illi nouem sunt modi, in quib. nihil naturaliter, sed omnia coacte cōcludit: & sunt quæ sequuntur eiusdem monetæ. Itaque ne molestus sim, manum tollo; vnica admonitione iuventuti succurrere potes, si illos monueris, vt Aristotelem hic potius quam hunc autorem sequantur ducem. Vale vir nobilissime & clarissime. Deum veneror vt tibi tuisque, mihi meisque omnibus

mnibus hunc novum annum felicem esse velit. Helmstadio An. 1621. 14. Ianuarij

Vester

Cornelius Martinus

Antwerp.



IN
EDITIONEM NOVAM
APVLEIANAM

à

Clarissimo Viro

GEVERHARTO ELMENHORSTIO
adornatam

THOMÆ SEGETI

Iambi.

DIserte LVCI, docte verborum artifex
Concinniorum, non inops rerum penus.
Tibi multa multi contulere singuli,
Illustrioris iidem nominis viri :
Omnes sed vnus vicit ELMENHORSTIVS.
Sanauit ille saucio multas plagas,
Tenebricosa lumen alter prætulit.

At obtegebat multa adhuc oculos tibi
Glaucoma, abegit ELMENHORSTII manus.
Vibice multa fœda squallebat cutis
Misselli aselli: reddidit fœdam cutem
Totam nitori pristino ELMENHORSTIVS.
ASINVM exuisse LVCIVS totum se ouat.

ELEGIA
IOHANNIS WEITZII.

IGnaui[illegible]igilem cur admoliris asello,
Hoc est, in sterili littore bubus aras?
Eluuiemq́ fricas operose sordium, & vngues
Effictim & caudam, non sine laude polis?
Inq́ oculos bullis frontem radiantibus auro,
Æmula vti stellis candida forma micet?
Sic popa nescio quis! sed ceu Maro se legere auri
Ex Enni aiebat fragmina quisquilius:
Sic APVLEIVS *habet numeroque & pondere multas,*
Squalore absterso, fundere diues opes;
Quas studio exsinuas ærumnosoque labore
His, qui grassantur musica per stadia;
Musa ELMENHORSTI *Latia decus atque Pelasga,*
Ac patria æternum viuidua fama tua!
Lurorenque cutis tergesque, situmque reformas,
Et cariem sepelis, scabritiemque fugas:
Et capite à primo ad pedis vltima pectis asellum,
In tota vt sedeat corpore nulla lues.
Ceu disiecta igitur creperæ caligine noctis
Lumine Sol rediens cuncta recente reple:
Sic iubar infundis nitidum, pellisque veternum,
E squale extollens lampada lucifluam.

Barbara

Barbara sic ruditas, sic spurca inscitia it illuc,
Vnde prius scaeuos attulit ista pedes.
Olim ita dispersit flans ignes ore Chimæra
Isthmiaci heroa Bellerophontis ope.
Futilis haud igitur linguæ probra liuida cures,
GEVERARTE! *A te lancinat atra bonos,*
Inque loco inque suo quivis est schemate agaso.
Immò asinus, portans tergore Atlantis onus:
Et latera innumero plagarum grandine tactus
Pellitur hinc varius inde agiturque modis.
Nec faciem hanc schema tollit rosa laurea nostræ,
Sed tollet tandem, qui nouat omne, Deus:
Nos ubi de cœnis obrizum finget in aurum,
Atque in natiuum corpora fluxa decus.

LECTORI.

DVM pagellas Apuleianas obiter inspicio, deprehēdo typothetas aliquoties à scopo aberrasse, & quà in contextu ipso, quâ in distinctionibus peccasse plurifariam. Eas culpas ne quis scæui ominis impugnet, aut mihi absenti & innocenti maligne impingat, hic signare volui, quas antequam ad lectionem accedis, haud grauatim emendabis, Lector amice.

Errata.

Repone igitur Pag.20.vers.32. *Qui fit.* 22.3. post *queunt* dele comma 16.ibid. *cupidinum.* ibid.3[illegible] *[illegible]tientia atq; doctrinu e.r.s.e.u.E.q.p.b.f.e.s.g. virtutu via graderetur, adeptum.* 24.26. dele *qui eum.* 27.21. tolle comma post *debeat.* 29.15. *noua vsitate.* ibid.34 *ipsarum.* 37.10. *vniuersitas m.q. demonstrabilis* 38.22. *cum secundo.* 41.40. *dici.* 42.9. *obstiti* ibid. *radios.* ib.20. *assimilant* 45.13. *Respondebit* 46.24. *quum aues.* ib.38. *fessa.* 47.7. *inolita.* ib.24. *fecunda* 49.20. post *pomparum* expunge colon. 52.10. *Clytias.* 53.20. post *petiuerit.* tolle comma. 54.10. *quà.* 61.27. *festinante.* 40. ib. Encolpia. 63.41. *verberato aere, id est alterius indicio.* 66.14. *fateantur* ibid.17. *receptrix.* 67.35. post *micant* tolle comma. 69.36. post *magnu* dele colon 70.21. *nutabit.* 72.25. *virtutum* 73.17. *quem* 23. ib. *interitus* 74.31. *spargitur.* 33. *vitium* 76.5. *præteriti.*

29. Madaurensi. 41. alterum. 27. 34. aluntur quadam 82. 21. m
84. 41. generabilis 25. 85. vitare. 90. 32 destituetur. 95. 10. in
quam 97. 36. scitote. 99. 33. coli eorū. 101. 19. post aguntur tolle com-
ma 103. 2. fundamenta à Plutarcho. 10. preuehe 18. impartite. 104. 17
Hypateo. 104. 28 semiamictus, pene alius lurore. ad m. m. 105. 26. Illa 106
15. ranam 107. 18. dele duos versiculos inepte bis positos. 38. graba-
tus dele 105. 13. aie. 112. 20. intro se. 115. 23. inaffectatum 117. 2. 3. post in-
uita dele comma 33. pranitente 120. 29. dinariis 121. 9. destinauerat.
122. 4. arcum 124. 4. Thelophron. Pupillus 125. 5. meq́ 21. quassato 28. per-
frictu. 126. 31. impedita. 128. 2. reformata. 129. 6. arripio 27. renitentem
occipiunt. 131. 20. ipsas fores. 133. 5. vt per quaestionem 20. è regione. 27. ra-
tionem. 135. 6. post cubitu expunge comma. 136. 23. defecti 137. 21. cra-
pula 140. 11. infestu. 17. corellas. 141. 1. rosario. 4. accurate 19. vi patefa-
ctis. 142. 41. Ergo igitur. 143. septam. 31. vlulabeli 41. loro 146. 4. Centau-
ru. 147. 5. rogans. 37. emolitus. nec toro. 41. profusa 149. 35. primitias 150.
30. validius 32. expoliationis 151. 1. occultare 35. post sese dele colon. 39.
celatū 152. 30. saliares. 155. 31. dele comma post germine 158. 17. dolere
161. 26. atq́ vt meum spiritum diligo. 35. post percontata dele comma.
163. 29. parricidium. 164. 9. teneritudine. 165. 1. faciem tuam. supplicu 26
tibias. 167. 9. afferre. 25. nudoq́ 168. 27. extima 33. è pharetra 36. rosei. 169
33. florentem 170. 6. luctum 37. flante 171. 2. nec 172. 21. squallen-
tis 173. 25. vxoriis 174. 9. gleba 27. foribus. 177. 22. grauiter 39. tetra
179. 11. lachrymarum 182. 14. facie 184. 6. miisſimi. 185. 21. pectinabo. 33.
delphinum 188. 29. post fama dele duo puncta. 189. 29. hauriendo 193.
13. et, 40. Tali. 196. 17. feriebar. 197 20. festiuus. 199. 24. totum. 200. 19.
morituris 201. 10. exanclauerat 35. insigniter. 205. 26. Ambrosii. 207.
22. inserte. 211. 10. prorsus. 213. 26. stipe 214. 31. multimodis 216.
2. post scilicet, dele comma 222. 19. defectam 23. post curiositate:
dele duo puncta. 224. 37 & d. famem. 226. 28. Furtim 227. 36. post tre-
pidantem dele comma 230. 15. illas: 232. 30. altercantibus 235. 9. trium-
pha, dum scias, licet. 33. retro qua 237. 11. Vicinus 245. 20. augere 247. 12.
Verebar ne 250. 8. arcana d. v. s. custodia 251. 3. qua 252. 33. reddito 253.
9. promicarent 256 discernebatur, lectus Indica. 260. 31. ante Indía 261. 31.
luminosi 262. 5. iudicium 264. 16. tutior 37. literis 272. 17. aliis 31. largi-
tus 275. 34. opprobrasset 279. 1 Critias 296. 26 fortaſſean b. reperisse 306.
29. arbitratus 31. esset. 20. Imon. si verum velis Æ. 311. 16. nocturna. 312.
7. laudis & 315. 31. quapiam 317. 39. post fontem dele comma 222. 35.
perires 323. 12. immedicatum os 327. 21 d sum na ego 330. 32. habebit
338. 27. pleramq́ 340. 11 festine 33. cacu mus 341. 48. barbarus 344. 10.
calamine 345. 4. desperent 347. 13. porro quem ames, etiam 348. 9. citatis
21. meras 351. 13. dilectum, Anacreon 357. 21. inconcupiscenda 358. 11. fi-
dibus 360. 7. libera. Semper adeo & 19. decipula 362. 7. post facie dele
cōma 364. 31. periculum faciam. NB. in Apologia hic locus
ita legendus. Genus dicendi tractum è ludo gladiatorio, in quo retiarius
confecto mirmillone pinnas quas in galea habebat, velut spolium ab hoste
rapiebat, quarum ostensione, &c.

INDEX
GEVERHARTI
ELMENHORSTI
IN
APVLEIVM.

H



IOANNES LOCCENIVS HOLSATVS

LECTORI S.

LECTOR amice, ſcias velim nuper adeo incidiſſe viri clariſſ. & doctiſſ. GEVERHARTI ELMENHORSTI obitum, acerbum, vt puto, omnibus qui ſciunt æſtimare merita tanti viri in remp. literariam & iam nunc rei literariæ damnum in illius morte. Cum ergo vir egregius (vt nunquam ceſſabat bene mereri de ſtudiis, ex quo ſemel cæperat) Apuleium poſt tot ſuperiorum curas emaculaſſet & priſtino nitori reddidiſſet, bono publico procudendum prælo Francofurtenſi commiſit; iamq; feruebat opus, ſedulò inſtante viro diligentiſſimo. & ecce Fatum nimis durus profectò Tribunus plebis medio laboris curſui intercedens omnia turbat. Itaque dum in illo caſu aliquot dies, vt res eſt, opera interrupta pendebant, tandem poſt ſedatum pauliſper luctum hæredibus & amicis τȣ̃ μακαρίτȣ Geuerharti viſum eſt reliquam operis partem, abſolutam quidem, qui eſt Index hic, de quo nobis meritò

meritò gratulamur, at nondum ab authorē ipſo quippe morte præuento reuiſam typographo tranſmittere, ne mora ipſi damnoſa eſſe poſſet. Hoc tantum libro deerat, vti dixi, quod ſupremam authoris manum nondum ſenſerat; mihi igitur quicquid id eſt opellæ commiſerunt, quam & ego pro amicitiâ, quæ dum fata ſinebant non vulgaris, & vtinam perpetua, inter nos fuit, lubens in me ſuſcepi, Indicem ſtudiosè relegi, confusè & tumultuariè ſcripta in ordinem redegi, feciq; quantum in me fuit, vt omnia ſuo loco bonâ fide collocarentur. Hoc volebam neſcius ne eſſes beneuole Lector. Vale & Authoris Manibus faue, à nobis autem breui σὺν θεῷ expecta Curtium ſedulò emendatum & illuſtratum. Hamburgi ∞ↄCXXI.

GEVERHARTI
ELMENHORSTI
IN
APVLEIVM
INDEX,

In quo vocabula prisca ac dictiones elegantiores commemorantur & adductis aliorum scriptorum testimoniis explicantur.

A.

Faberrime

H 5

Vtpote

ADVERBIA IN IM.

ADVERBIA IN I.

ADVERBIA IN O.

Craſtino

ALTR-

APPEL-

CHARO-

L

L 4

O quam blandus es Ammiane matri
Quam blanda est tibi mater Ammiane
Fratrem te vocat & soror vocatum. 120.

G.

GRAV-

IMPA-

mentis

LIGNEO-

M.

N

MA[illegible]

MVLGA-

O.

OBVER

PERGERE

Rece-

R.

P

RETIO-

S.

SCITA-

SVFFV-

T.

THYME-

EXPLICITVM
XIV. LVNA MARTIA.
AN. XPI. ∞. IↃ. CXXI.

Si liuor obtrectare curam voluerit,
Non tamen eripiet laudis conſcientiam.

